



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

Parisiis, 1644

Vita, Epistolae Et Decreta Martini Papae I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15300



VITA . EPISTOLAE ET DECRETA MARTINI PAPÆ I.

ANNO
CHRISTI
649.
* B. mens.
3. d. 12.



MARTINVS, ^a de ciuitate Tudertina,
prouincia Tuscix, ^b sedit annos sex,
* mensem vnum, dies viginti sex.
^c Huius temporibus Paulus Constan-
tinopolitanæ vrbis episcopus inflatus
superbiæ spiritu aduersus rectum sanctæ
Dei ecclesiæ dogma, audacter
præsumpsit paternis definitionibus

* ad ope-
rimentū.
* quibus-
dam sub-
reptioni-
bus,
* quo

* editio-
nibus

* illicite
* in tan-
tum vero
vesaniæ
prorupit,
vt altare
* cōmo-
nuerunt
eum, vt
ab huius
hæresis
intentio-
ne rece-
deret.
Nec non
& conte-
stari eum
iussi sunt.

contraire : Insuper studuit * ad cooperimentum proprii
erroris * quorundam subreptioni, vt & clementissimo
principi suaderet typum exponere, * qui catholicum dog-
ma destrueret. In quo typo omnes omnino voces sancto-
rum patrum cum nefandissimorum hæreticorum * di-
ctionibus eneruauit, scilicet nec vnam, nec duas volun-
tates, aut operationes in Christo Domino nostro defi-
niens confiteri. Qua de re huiusmodi prauitatem suam
defendens, quod nunquam nec a prioribus hæreticis præ-
sumptum est, ipse * in lite præsumere studuit * in tantum,
vt altare sanctæ nostræ sedis, quod erat in domo Placidix
sacratum in venerabili oraculo, subuertens, diriperet. Pro-
hibens ne adorandam & immaculatam hostiam apocrifa-
rii nostri ibidem Deo offerre valeant, nec communionis
sacramenta percipiant. Qui videlicet apocrisarii ex præce-
ptione apostolicæ auctoritatis * commouerunt eum, vt de
tali hæretico intentu recederet. Nec non & contestari visi

Concil. Tom. 15.

A

sunt, persecutionibus diuersis cum aliis orthodoxis viris, &
 venerabilibus sacerdotibus. * insecutus est eos, quosdam * at ille
 eorum custodia retrudens, alios in exilium deportans, alios insecutus
 autem verberibus * committens. Quibus pene omnem * C. sub-
 mundum conturbantibus, ex diuersis locis querelam con- mittens.
 tra eos ad apostolicam nostram sedem plurimi orthodoxi
 detulisse monstrantur. Coniurantes, vt totius malitiæ,
 tantæque euerfionis per apostolicam auctoritatem * ab- * abscin-
 scindant commentum: quatenus minime * totius corpus * deretur
 catholica ecclesiæ nocibilis eorum * eccheseos languor * totum
 difrumpere valeat. Tunc Martinus sanctissimus ac bea- corpus
 tissimus episcopus misit, & congregauit episcopos in vr- * execu-
 brem Romam numero centum & quinque, & fecit Syno- tionis
 dum secundum * institutum patrum orthodoxorum in ec- * institu-
 lesia Saluatoris iuxta episcopium Lateranense. Seden- ta
 bus episcopis & presbyteris, adstantibus diaconis & cle-
 ro vniuerso, condemnauerunt Cyrum Alexandrinum,
 Sergium, Pyrrhum, & Paulum, patriarchas Constantino-
 politanos, qui nouitates contra immaculatam fidem præ-
 sumperunt innectere. Quippe quoniam ipsam excludere
 properantes, hæreticorum dogmatum contra catholicam
 Dei ecclesiam confusionem * concinnauerunt, anathema- * conti-
 tis vltione * perculsi sunt. Quæ Synodus hodie archiueo ec- nuauere-
 clesiæ cõtinetur. Et faciens exemplaria, per omnes tractus n- runt,
 orientis & occidentis direxit, & per manus orthodoxorum * percul-
 fidelium disseminauit. ^d Ipsi diebus direxit imperator in
 Italiam Olympium cubicularium & exarchum ad re-
 gendam omnem Italiam, præciens, & dicens: Oportet
 gloriam tuam, vt sicut nobis suggessit Paulus patriarcha,
 huius a Deo conseruandæ vrbs peragere. Et si quidem in-
 ueneris prouinciam ipsam consentientem in typo a nobis
 exposito, * tenere omnes, qui ibi sunt, episcopos & hære- * facias
 ticos * possessorum, atque habitatorum, & peregrinos, & tenere
 in eodem subscribant. Si autem quomodo nobis suggessit omnes
 Platon gloriosus patritius, & Eupraxius gloriosus, po- qui ibide-
 tueritis suadere exercitui ibidem consistenti, iubemus te- sunt, epi-
 neri Martinum, qui hic erat apocrisarius in regia vrbe, & posses-
 postmodum omnes ecclesias relegere eum, * quia factus est sores at-
 a nobis orthodoxus typus, & omnes episcopi Italiæ in ipso que habi-
 subscribant. Si autem * inueneritis contrarium in tali causa, tatore in
 eodem
 subscribere
 * B. pro-
 fessores
 * inuene-
 ris

* obti- exercitum tacitum habetote, donec * obtinueritis provin-
 nueris- ciam, & potueritis vobis exercitum * aggregare, * tamen
 * maio- Romanæ ciuitatis, atque Rauennatis, vt ea, quæ a nobis
 rem & præcepta sunt, quantocyus explere * valeatis. Qui prædi-
 * tam & ctus Olympius veniens in ciuitatem Romanam, inuenit
 Romanæ ciuitatis, sanctam Romanam ecclesiam coadunatam cum omnibus
 quam & epis- epis copis Italiæ, seu sacerdotibus vel clero. Et volens im-
 Rauenna- plere ea quæ ei iussa sunt, amans secum * exercitum vir-
 ris, * tute- tus virtu-
 * valeas. te C. tutis, voluit schisma * sanctæ ecclesiæ intromittere. Hoc
 * exerci- per plurimum tempus actum est. Et non illum omnipo-
 tus virtu- tens Deus permisit quæ nitebatur perficere. Videns ergo
 te C. se a S. Dei catholica atque apostolica ecclesia superatum,
 * in san- neceffe habuit de sua quasi mala intentione declinare, vt
 ctam ec- quod non potuit per manum armatam fecere, * sub hære-
 clesiam tico modo per missarum solennia in ecclesia Dei S. geni-
 * subre- tricis semperque Virginis Mariæ ad præsepe perficeret.
 ptitio modo Nam dum communionem ei porrigeret sanctissimus pa-
 pa, voluit eum crudeliter interficere, vt demandarat suo
 spathario. Sed omnipotens Deus, qui solitus est seruos suos
 orthodoxos circumtegere, & ab omni malo eripere, ipse
 excæcavit spatharium Olympii exarchi, & non est permis-
 sus videre pontificem, quando exarcho communionem
 * C. panē porrexit, vel * pacem dedit, vt sanguis eius effunderetur,
 * subiice- & catholica Dei ecclesia hæresi * subiugaretur. Quod post-
 retur. modum prædictus armiger diuersis cum iureiurando pro-
 fessus est. Vidēs ergo Olympius exarchus, quia manus Dei
 circumtegebat Martinum sanctissimum papam, neceffe
 habuit se cum pontifice concordare, & omnia quæ ei ius-
 sa fuerant, eidem sanctissimo viro indicare. Qui facta pace
 cum S. Dei ecclesia, colligens exercitum, profectus est Sici-
 liam aduersus gentem Saracenorum qui ibidem habita-
 bant. Et peccato faciente, maior interitus in exercitu Ro-
 mano peruenit, & post hoc isdem exarchus morbo inter-
 iit. ° Deinde directus est ab imperatore Theodorus exar-
 chus, qui cognomento Calliopa dicitur, cum Theodoro
 * Pela- imperiali cubiculario, qui & * Pellurius dicebatur, cum ius-
 tius sione. Qui tollentes sanctissimum Martinum papam de ec-
 clesia Saluatoris, quæ & Constantiniana appellatur, perdu-
 xerunt Constantinopolim: & nec sic eis acquieuit. Dein-
 de directus est prædictus sanctissimus vir in exilium, in

Concil. Tom. 15.

A ij

locum, qui dicitur * Cersona. ^f Et ibidem, vt Deoplacuit, <sup>* B. Cher-
fona.</sup> vitam finiuit in pace Christi confessor. Qui & [§] multa mi- <sup>* Deposi-
tio eius
celebrat-
ur 15. Ka-
lendas
Octobris
B. 11. No-
uembris.</sup> rabilia operatur vsque in hodiernum diem. ^b Fecit autem ordinationes * duas per mensem Decembrem, presbyteros vndecim, diaconos quinque, episcopos per diuersa loca, nu. 33. * Depositus die 17. mensis Septembris, & cessauit episcopatus dies 28.

NOTÆ.

Quando
Martinus
pontificatū
adeptus sit.

* *Martinus.*] Anno Christi 649. die prima mensis Iulii post interregnum vnus mensis & sexdecim dierum, Martinus ex Tuscia oriundus, thronum apostolicum conscendit. Hunc Nouatianæ hæreseos sectatorem fuisse calumniantur nouatores hæretici, ideo quod in epistola 11. ad Amandum docuerit non esse dandam veniam presbyteris vel diaconis post ordinationem suam peccantibus. Sed si pontificis epistolam sequestrato omni affectu attente legissent, vel etiamnum legerent, sine dubio ipsos suæ malitiæ & ignorantiae punderet. Cum enim Amandus Traiectensis episcopus, prauos mores ecclesiasticorum pertæsus, a Romano pontifice vacationem ab episcopatu per literas petiuisset; Martinus merito id, quod cum incommodo ecclesiæ Traiectensis petiuerat, illi negauit, & ad disciplinam ecclesiasticam ibidem reformandam eundem admonuit, vt presbyteros ac diaconos grauiter peccantes a gradu suo deponat; & si respuerint, veniamque petierint, eos quidem absoluat, sed nunquam suis gradibus ac dignitatibus restituat. Vnde patet, quod Martinus non tam de peccatorum venia, quam de restitutione ad sacra ministeria loquatur. Vide Bellarm. lib. 4. de Rom. pontif. cap. 12.

Martinus
contra ca-
lumniam
Magd. de-
scenditur.

Gentium
conuersio
sub
Martino.

Hic per S. Landolinum Cameracensis ecclesiæ presbyterum, & S. Amandum Leodiensem episcopum, & S. Follianum Hiberniæ apostolum, impertita ipsis prædicandi facultate, multos infideles ad ecclesiam perduxit.

Quamdiu
sederit.

^b *Sedit annos sex.*] Baronius in appendice tom. 11. corrigens id, quod prioribus editionibus de tempore sedis S. Martini senserat, ait, eum annis quinque, mensibus quatuor atque diebus duodecim, ecclesiæ regimen administrasse.

Anastasius
emendatur.

^c *Huius temporibus Paulus Constantinopolitane urbis episcopus.*] Hæc quæ deinceps sequuntur apud Anastasium vere sub pontificatu Theodori contigisse, adeoque hoc loco male recenseri, supra annotaui in notis ad vitam eiusdem Theodori.

Ob tres ca-
lumnias Mar-
tinus capi-
tur & rele-
gatur.

^d *Ipsis diebus, &c.*] Quæ hic ab Anastasio enarrantur, contigerunt circa tempora illa, quibus habita in vrbe Lateranensi Synodo, pontifex Monothelitarum hæresim condemnauerat. Vide Baro. an. 649. ^e *Deinde directus est ab imperatore Theodorus.*] Cum imperator cognouisset, per Olympium apud sanctum Martinum papam nihil effectum fuisse, ipsamque Monothelitarum hæresim vna cum typo quem promulgauerat, damnatam esse, confectis in pontificem tribus

calumniis, quasi fidem a maioribus traditam mutasset, cum Sarra-
cenis conspirasset, atque contra Dei genitricis Mariæ cultum ne-
scio quid locutus, illegitime pontificatum occupasset, iussu Hera-
clii, atque opera Theodori Calliopæ exarchi, per vim militarem e
basilica Constantiniana pontifex abductus, abstractusque e pa-
latio Lateranensi, & in nauim coniectus, asportatus est in orien-
tem, mandato clericis dato, ne abductum sequerentur. Capto
pontifici, quantumvis morbo podagrico affligeretur, inhibitu-
m fuit, ne in terram conscenderet e naui, omneque humanitatis of-
ficium illi negatum est, eo consilio, vt integro anno inter Cyclas
detentus, his ærumnis a constantia solita amoueretur. Post ex-
actum annum vnum, tandem aduexerunt illum Constantinopolim,
vbi post lapsum 93. dierum, quibus omnium alloquio dedignabatur,
tandem in iudicium adductus, accusatus, & per falsos ac periuros te-
stes conuictus, gladio addicitur, pontificalibus ornamentis exuitur,
vrbs opprobrio exponitur, catenisque oneratus in carcerem retru-
ditur: iamque gloriam martyrii consecutus fuisset, nisi Paulus Con-
stantinopolitanus episcopus morti vicinus obstitisset. Nam cum il-
li imperator postridie quam hæc gesta fuerant, retulisset quæ in
sanctissimum pontificem commissa erant, suo seipsum iudicio con-
demnans, teste Anastasio in epistola hac de re ad occidentales scri-
pta, *conuersus ad parietem dixit: Hei mihi! & hoc ad abundantiam
iudiciorum meorum actum est. numquidnam, domine, non est misera-
bile talia pati pontificem? Tunc attentius adiurauit imperatorem
sufficere ei in his quæ passus est, nihilque amplius sustinere.* Quod cum
beatus papa audisset, ægre tulit, expectans per gladium consum-
mare martyrium. Post aliquot dies igitur suos iam ante consolatus,
nauigio in Chersonam transuectus est clanculum, vt ibidem in exi-
lio, fame, aliisque corporis calamitatibus consumptus, diem extre-
mum claudere cogeretur.

Quas pœnas
qualque af-
flictiones
Martinus
Constanti-
nopolim per-
tulerit.

Chersonæ constitutus, duas postremas scripsit epistolas, quibus
indicat, quas ibi aeris iniurias, quamque corporis inedia sustineat.

De relegato Martino pontifice Theodorus exarchus Romæ cer-
tior factus, curauit quod mandarat Constans imperator, vt quan-
tumvis reluctaretur clerus Romanus, Martino successor designare-
tur. Ad maius incommodum euitandum, tandem vniuersi cleri
consensu electus est Eugenius ista conditione, vt saltem eo tempo-
re, quo viuebat sanctus Martinus, vicaria præfectura ecclesiæ præ-
esset, idque ne inuitis ab imperatore obtruderetur Romanus episco-
pus, qui eiusdem cum ipso hæreseos propugnator esset. Hæc ex epi-
stolis sancti Martini papæ & Anastasii bibliothecar. quæ est 16. inter
epistolas Martini, Baronius in annalibus.

Eugenius
Martino ad-
huc viuenti
subrogatur.

^f *Et ibidem vitam finiuit.*] Anno Christi 654. duodecimo die men-
sis Nouembris, quando pontificatum annis quinque, mensibus 4. &
14. diebus administrasset.

^g *Multa mirabilia operatur vsque in hodiernum diem.*] Refert de
eo Audoenus in vita sancti Eligii apud Surium 1. Nouembris, quod

Miraculis
sanctus Mar-
tinus clauit

adhuc viuens, Constantinopoli cuidam per orationem lumen restituerit. Gregorius II. eius nominis pontifex in epistola ad Leonem Illaericum imperatorem hæreticum, hæc de sancto Martino post alia subiungit. *At beatum Martinum esse sanctum testatur ciuitas Chersonensis & Bosphori, in quam relegatus est; & totus septemtrio atque incola septemtrionis, qui ad sepulcrum eius confluunt, & morborum curationes experiuntur.* Refert Baronius anno 654. num. 6. se a viro quodam maxime pio & fide integro accepisse, quod in hanc usque diem memoria sancti Martini papæ a Græcis adhuc frequenter; quodque populus frequenti cœtu ad sepulcrum eius confluens, gratias curationum accipiat, & alia iusta petita impetret. Probabile est, quod dum corpus eius Romam translatum fuit, Chersonenses vnam partem ipsius sibi asseruarint.

Anastasius
emendatur.

^h *Fecit ordinationes duas per mensem Decembrem.*] Vnam tantum ordinationem mense Decembri fecisse potuit, quem primo tantum anno pontificatus sui mense Decembri Romæ habitasse, ex iis quæ supra dixi, constat. Anno enim secundo pontificatus sui Roma abductus, reliquos annos exegit in exilio, vt patet supra. Baronius prædicto anno num. 2.

Quamdiu
sedes vacauit.

ⁱ *Cessauit episcopatus eius dies 28.*] Non est probabile quod tam breui temporis spatio obitus sancti Martini Romam perferri potuerit. Vnde quod in aliis codicibus abest, huic subrepsisse videtur.

EPISTOLA I.
MARTINI PAPÆ I.
AD OMNES FIDELES.

Damnat hæresim Monothelitarum, & acta Synodi exponit, monens vt in fide catholica persistant.

GRATIA vobis & pax multiplicetur in agnitione & communione sancti Spiritus, &c. *Extat infra in Concilio Lateranensi sub Martino papa in fine consultationis 5.*

EPISTOLA II.
MARTINI PAPÆ I.
AD AMANDVM TRAIECTENSEM
EPISCOPVM.

Dilectissimo fratri Amando Martinus.

FRATERNITATIS tuæ studio pietatis congestam epistolam suscipientes, animos nostros releuari cognoscimus, &c. *habetur infra in Concilio Lateranensi secretario 5.*

EPISTOLA III.
MARTINI PAPÆ I.

AD CONSTANTEM IMPERATOREM.

Nuntiat Monothelitarum hæresim in Concilio, cuius acta transmittit, damnatam, ipsumque ad eandem hæresim damnandam hortatur.

Domino piissimo & serenissimo victori, triumphatori, filio diligenti Deum & dominum nostrum Iesum Christum, Constantino Augusto, Martinus episcopus servus servorum Dei, & vniuersa Synodus in hac urbe Roma congregata.

CÆLESTI sæculorum regi, Christo Deo, qui per carnem vna cum mente animatam, & ipsi secundum hypostasim vnitam, in terris apparuit; Magi terrena munera prompte obtulerunt, non magis quæ diuina gloria ipsius digna essent (est enim incomparabilis) quam quæ promptam eorum voluntatem declararent. illa enim infinita est, hæc singularem Deo amorem exhibet. Vobis autem, serenissime, qui in terra per ipsum regnatis & ad eum properatis, cum multa libertate preciosa offerimus dona, qui omnes per gratiam sacerdotes eius existimus; salutaria nempe sanctorum patrum & Synodorum præconia, ad veram ostensionem internæ erga ipsum Dominum ac Deum nostrum caritatis, & erga vos, qui finceri eius estis ministri. Et quoniam *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a patre lumine*: tamquam splendidum aurum possidemus firmam in eum & sincerissimam confessionem: theologiam vero, thus purum & eximium & optimi odoris: myrrham conseruatricem bonorum, & contrariorum expultricem doctrinam. Hæc enim stabiliter custodita, erunt ditijoni vestræ corona decoris, & diadema gloriæ in manu Domini. Nam regni ornamentum est veritatis cognitio, splendida & immarcescibilis, quæque inuenitur his qui eam quærunt: quoniam hæc dignos se circuit quærens, & iis se ostendit, qui eam non tentant. Quapropter vobis, optime imperator, vt Dominum quærentibus in simplicitate cordis, & in mentis bonitate de eo sentire properantibus, studuimus eius annuntiare salutare hac rela-

Hæc vnde-
cim sequen-
tes beati
Martini e-
pistolæ
Græce extat
in vetusto
manuscrip-
to Græco
codice Cō-
cilii ab eo-
dem ponti-
fice Romæ
in Latera-
no celebra-
ti contra
hæresim
Monothe-
litarum.

Iacob. i.

Amos 3.

tionis nostræ mediocritate. Nobis enim per Amos prophetam de se annuntiare præcepit, dicens: *Sacerdotes audite, & testificamini domui Israel, dicit dominus Deus omnipotens.* Edocemus igitur pium vestrum ac serenum imperium, quod in hac Dei amante & cultrice vestra vrbe Roma conuenientes nos omnes, qui ad mansuetudinem vestram confugimus, ex apostolica & spiritali vnanimitate & consensu, in eadem mente & eadem sententia, piam orthodoxæ fidei definitionem confirmauimus, & congruenter infirmauimus inconuenientem hæreticorum sermonem, qui quondam quique nunc priorum sensuum prauitate se a veritate separarunt, qui intra seipsos non recte ratiocinati, dixerunt non habere in humanitatis suæ natura voluntatem aut operationem naturalem, ipsum, qui propter nos humanatus est, Dominum: sed sine voluntate ipsum existere, ac sine operatione, intangibilemque & inanimem esse: & quidem, cum patrum doctrina, testem veritatis propriam habentes naturam, ad redarguendam eam, quæ de hoc ab iis dogmatizatur, absurditatem, cum substantiam suam videant ab ipso creatore voluntate præditam & operatoriam factam esse. Quomodo igitur a se fabricatam, & propria incarnatione assumptam a naturali voluntate & operatione deminuit? non vere faciens substantiæ nostræ in se fidem, sed imaginarie & fallaciter dispensationem secundum illos perpetrans, qui ob hoc vnam diuinitatis eius atque humanitatis voluntatem & operationem esse dogmatizarunt. Quapropter ab omnibus fere aliarum prouinciarum Deo amabilibus episcopis, & ab apostolicis pontificibus in hac seniore Roma constitutis, in dilectione admoniti, vt ab eiusmodi damnabili nouitate abstinerent, ad correctionem non venerunt, sed in deterius progressi sunt, diuinam eius voluntatem & operationem in humanam contrahentes: ac veluti asserentes, nullam vlllo modo eum in vtraque earum, ex quibus & in quibus est, naturarum, voluntatem & operationem habere, sed absque voluntate natura esse, & absque operatione: quod omnium tum sanctorum patrum, tum œcumenicorum quinque Conciliorum definitiones evertit, quæ per omnia perfectum eundem in diuinitate,

te,

te, & in humanitate perfectum prædicauerunt: tantum absque peccato. Nam in peccato naturæ perfectio non conspicitur, sed vitium agnoscitur nostræ transgressionis. Quod si perfectus est, est videlicet perfectus secundum diuinam voluntatem & operationem, quemadmodum & iuxta naturam principii expertem atque increatam: & secundum humanam quoque tum voluntatem tum operationem, vt & secundum naturam creatam, & quæ principium habuit. Qui vero in aliquo eum imminuit, manifeste euertit perfecti rationem, eam conspici nullo modo permittens propter eius quod naturæ conuenit, defectum: quem aduersarii, Theodorus videlicet, qui Pharan episcopus fuit, & Cyrus qui Alexandria, Sergius qui regiae vrbs, ac eorum successores Pyrrhus & Paulus, in prima & secunda conscriptione dogmatum suorum non solum posuerunt, sed etiam studuerunt, vt sibi illa per expositionem, hæc per formulam confirmaretur, idque contra fidem: nefarie subrepentes vestræ serenitatis auribus, vt & antea auribus beatæ memoriæ aui mansuetudinis vestræ: vt culpam suam callide aliis aspergerent, deque manu Domini hanc ob causam duplicia peccata sua reciperent, iustas videlicet pro iis poenas, vtpote qui ea peccauerint, ex quibus non exigua perturbatio tamdiu vniuersam terram vexat: quod non solum pii populi scandalizentur, sed impii etiam barbari magnum confessionis nostræ mysterium traducant: quia non solum prima ac potissima fides ab aduersariis labefactetur, sed ea etiam, quam excogitarunt, statim ab iis euacuetur, opposita noua pessimæ hæreseos prauitate: vt de cetero ne illi quidem intelligant, quid ab illis credatur aut existimetur, propter obstinatum propriarum opinionum euerfionem. Quocirca omnium fere piorum sacerdotum & populorum contra eos clamores apostolica sedes accipiens, orantium atque obtestantium, ne vsque in finem catholicam ecclesiam ab ipsis in periculum adductam negligamus, sed exurgamus acriter, & immaculatam Christianam fidem diligenti paternarum & synodicarum traditionum obseruatione conseruemus: nos omnes sacerdotali ordine conuocauit, vt a nobis omnia aduersariorum dogmata tractentur, & ca-

Concil. Tom. 15.

B

nonice per commentariorum acta iudicentur, de quibus opinionibus suis ad simplices fallendos ausi sunt dicere, hæc pietatis esse dogmata, quæ tradiderunt qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis, quique deinceps eorum discipuli & successores fuere, catholica ecclesiæ diuinitus inspirati doctores, id est, sanctæ & œcumenicæ quinque Synodi. Ad veritatis igitur ostensionem, & denudationem calumniæ aduersariorum, absurdam illorum doctrinam, & piam sanctorum patrum Synodorumque prædicationem, aduersa dilucide inter se comparantes, nec horum ad illa ullam conuenientiam & cognationem inuenientes, quemadmodum nec tenebris prorsus ad lucem; hæc ut diximus, definientes sanctiuius, salutaria nempe sanctorum patrum & Synodorum decreta: illa vero omnes, ut piis definitionibus contraria & inimica, una voce damnauius, ipsosque etiam hæreticos, prædictos nempe homines, una cum ipsorum expositione & præfata formula, orta ex suggestionem & prauo eorum dogmate; cumque omnibus, quæ pro iis acta scriptaque sunt: ut vestram in omnibus sine ulla macula felicem conuersationem tueamur, quæ aduersariorum scriptis grauatur. In quam ausi sunt religiosi Africae episcopis dicere, scribentes, quod mente consilioque regio vere excitati, memoratam piam formulam exposuistis, præcipientem de nimia obseruatione paulum sine damno remittere. Hæc autem scripserunt sanctis patribus nullo modo auscultantes, quod in iis quæ ad Deum pertinent, inque diuinis prædicationibus, id quod parum abest, paulumque mutatum est, non paruum tamen est ducendum. Sed in eo vel maxime vestræ potestati labem, ut dictum est, inurere properarunt in eo, quod illam formulam præter exactam rationem esse testati sunt, & scripto aliis significarunt. Quorum in his nequitiam & fraudem auersantes, cum his ipsis & eorum hæresim canonicè damnauius, ubique omnibus & ante omnes vestræ diuinitus stabilitæ serenitati notum facientes per ea quæ synodice a nobis pro orthodoxa fide in præfata acta sunt, quod duas eiusdem & vnius Christi Dei edicunt theologi naturas siue substantias confiteri, secundum hypostasim vnitas inconfuse & indiuisse:

Vnitas par-
uo momen-
to scindi-
tur.

& duas iuxta naturam voluntates, duasque iuxta naturam operationes, diuinam & humanam, increatam & creatam coniuncte vnitas, ad veram confirmationem, quod Deus natura perfectus, & homo natura itidem perfectus, idem proprie est, & vnus Christus ac filius: quodque omnes sanctis patribus contraeuntes hæretici, quique confusione, quique diuisione propriis dogmatibus deprauati sunt, impie vnam in eo voluntatem & vnam operationem sunt confessi: alii quidem, vt per inanem speciem; alii vero, vt per nudam nominum similitudinem, siue per puram ambiguitatem, magnum incarnationis Christi mysterium temerarie reprobarent. Vnde nos ad pietatem vestram confugientes, vt vtrorumque tum paternorum piorumque decretorum, tum impiorum hominum ac dogmatum differentiam vestræ potestati aperte exhiberemus, hæc a nobis synodice acta vna cum eorum Græca interpretatione misimus, orantes atque hortantes serenitatem vestram diuinæ sapientiæ deditam, vt hæc diligenter legere dignetur, pietatisque legibus memoratos hæreticos vna cum eorum hæresi condemnet, ac religionis diuinæ rationibus solam nobiscum, qui minimi sumus, sanctorum patrum & synodorum orthodoxam confessionem sanciat, ad catholicæ ecclesiæ commendationem & laudem, & ad incolumitatem reipublicæ vestræ, Christum amanti, ipsique seruientis. Solet enim vna cum orthodoxa fide status reipublicæ florere, ac vestræ potestati merito hostes subiugabit Dominus, a vestra serenitate recte creditus, ad vindictam inimicorum creaturam armans. Induet enim lorica iustitiæ pietatem vestram, galeaque muniet, iudicio vero ac simulationis experte: & clypeum præbebit, inexpugnabilem religionem, ad subiiciendum pedibus eius barbaras omnes gentes, quæ bella volunt: vtque victorem efficiat, rebus contra vitia pariter & homines feros præclare gerendis: & religiosorum laborum præmium reddat, æternam cum sanctis, qui a sæculo sunt, fruitiorem & quietem. Piissimum domini imperium superna gratia custodiat, & omnium gentium ceruices ei subdat.

Maximus episcopus sanctæ Dei Aquileiensis ecclesiæ, præsentia nobis factæ relationi subscripsi.

Concil. Tom. 15.

B ij

Deusdedit episcopus Caralitanus, similiter.

Maurus peccator & indignus episcopus sanctæ ecclesiæ Casenæ, locum implens Mauri sancti episcopi sanctæ ecclesiæ Rauennæ, præsentî relationi a nobis factæ subscripsi.

Deusdedit presbyter, locum implens Mauri sanctissimi episcopi sanctæ ecclesiæ Rauennæ, præsentî relationi & a nobis factæ subscripsi.

Et ceteri episcopi Synodi similiter.

EPISTOLA IV.

MARTINI PAPÆ I.

AD ECCLESIAM CARTHAGINENSEM.

Probat fidei confessionem, quam miserant; ad eandem tuendam ipsos excitat: acta Concilii Lateranensis contra Monothelitas exponit.

Electo spiritali consensu catholicæ Carthaginensium ecclesiæ, & omnibus qui ei subsunt, episcopis, clericis, populisque Christi amantibus, Martinus seruus seruorum Dei, eius gratia episcopus sanctæ catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ.

OMNIS quidem virtus, dilecti fratres, bonis viris inter se conciliare solet generosissimum amorem, qui necessitudine religiosæ mentis & conuersationis, indissolubile caritatis vinculum semper in se conseruant. Fidei vero verbum, sicut radix quædam ac fundamentum virtutum, vniuersos vniuersis, atque ipsi, qui super omnes est, Deo, eos qui orthodoxe in eum credunt, spiritaliter contemperat, eosque iuxta regulam fidei, quæ vna voce ab iis prædicatur, sic vnit, vt omnes ab inuicem magis quam a seipsis cognosci faciat, per indiuisibilem Spiritus gratiam. Atque hoc nobis aperte Actorum liber testatur hoc modo manifeste prædicans: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna. Et virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri, & gratia magna erat in omnibus illis.* Vnde his ipsis, id est fide ac virtute, vinculum caritatis vos quoque, fratres, habere cognoscentes, & erga nos & adinuicem, atque ad bonorum fontem Dominum nostrum ac Deum Iesum Christum, quæque præterea confessionis coniunctione, vltro citroque quasi transferendo, facile nobis subministratur, ad declarationem piorum, qui in menti-

Att. 4.

bus nostris sunt, sensuum: vos merito de sincero corde amplectimur, cum maxime, tamquam perennes lucernas, confessionis vestræ characteres nobis expresseritis, siue huic apostolicæ sedi, per synodales literas vestras, quos in nobis Spiritus sanctus informauit per ecclesiæ catholicæ oratorem, gloriosum nempe Augustinum, quibusque cum vos patrissare compererimus, & vniuersum in vobis doctoris decus in vestris piissimis dogmatibus efferre atque exprimere, necessario his beati Ieremiæ verbis vos omnes collaudamus: *Recordatus sum misericordiae adolescentiæ tuæ, & dilectionis perfectionis tuæ.* Adolescentiam appellans, misericordiae vigorem, siue fidei radicem, sicuti a S. Paulo dictum est: *Credere enim primum oportet accedentem ad Deum, quod est, & quærentibus se retributor:* dilectionis vero perfectionem, impletionem mandatorum. *Nam qui diligit me, inquit Dominus, mandata mea seruabit: & Ego & Pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Vnde & in virum perfectum & in mensuram ætatis plenitudinis Christi perueniunt ii, qui hæc secundum vos studiosè seruant. Horum igitur & nos cum virtute coniunctorum insigniumque dogmatum memores, non infructuosum effecimus vestrum æmulandum consensum, sed per spirituales in altari intercessionem Deo tamquam dona offerentes eorum quæ a vobis synodaliter gesta sunt, manifeste exultantes, & intercedentes pro salute vestra, ea Domino obtulimus in odorem suauitatis, siue ostensionem sinceræ in ipsum confessionis, ac per vtilem eorum recitationem vos præcones veritatis vbique omnibus exhibuimus. Odor erit enim vitæ ex vita iis qui nostram fidem aperte imitantur. Vt autem huiusmodi nostri sacrificii preciosum opus vobis quoque ipsis penitus certum faceremus, ea quæ in præsentia nobis gesta sunt, continentia, sicuti dictum est, vestrorum sermonum splendorem & coruscationem vna cum nostris encycliis literis ad vos misimus per Theodorum & Leontium religiosos monachos sanctæ Lauræ; vt scienter intuentes nostra dogmata, (nostra enim, secundum indiuisam Spiritus communionem vestra sunt) id est apostolicas & paternas ecclesiæ catholicæ prædicationes, dicatis & ipsi, in diuina agnitione facti, nequaquam in excessu mentis, verum semper men-

Ier. 2. iuxta 70.

Hebr. 11.

Ier. 14.

Communio sanctorum egregie declarata.

Gen. 1.

tibus vigilantes : *Hoc nunc os ex ossibus nostris, & caro de carne nostra* : eandem quippe in sensibus verbisque veritatis cognationem per omnia & conspirationem inuenientes.

Constantia
in fide ca-
tholica.

Hæc vera fides vocabitur, Deo quidem ante omnia sæcula præcognita, nunc vero propter nos manifestata, nobisque omnibus, qui in ipsum orthodoxe credimus, donata : quod ab ipso, qui vere creditur, Christo accepta, per fa-

Vnitas fi-
dei.

lubrem prædicationem data est in salutem animarum nostrarum, propter quam non solum patrem & matrem omnino derelinquet pius homo & orthodoxus, sed suam etiam ipsius animam, eique soli adhærebit per integram

Eph. 5.

& inculpatam paternæ doctrinæ vnitatem. *Mysterium enim hoc magnum est. Dico autem*, ait diuinus Apostolus, *in Christo & in ecclesia*. Cognoscite igitur, dilectissimi, vocationem vestram, firmiter hanc custodientes, sicut eam per memoratos sanctos patres, & vniuersales quinque Synodos accepistis : quandoquidem & nos ipsos, ut ante a nobis dictum est, hortati estis, huius fructum offerre Deo, vestrum nobis per ea quæ synodaliter scripistis, zelum demonstrantes. Ne simus igitur propriæ confessionis præuaricatores per coactionem vel per fraudem eorum, qui nos, ut verisimile est, vel impetunt, vel tentant : ne in die iudicii rationem præuaricationis in sæcula sæculorum reposcamur. Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, nempe a sanctis apostolis, * ac deinceps ab eorum discipulis, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, & Spiritus sancti distributionibus: enimvero & demonstrationibus tum ex scriptura, tum ex argumentis, ac iis plane omnibus, quibus veritatis præconium tam multis temporibus patres confirmarunt; quod & nos synodaliter sanximus, ad stabilimentum & commendationem ecclesiæ catholicæ, damnationem vero hæreticorum, qui & olim & nunc eam oppugnarunt, eorumque præsertim, qui temporibus nostris exorti sunt : Theodori inquam, qui Pharan fuit episcopus, & Cyri, qui Alexandria, & Sergii, qui Constantinopolis, eiusque successorum :

* vel, ac
eius di-
scipulis.

* vel, ec-
theses ac
typos.

quorum alii vsque in finem non pœnituerunt, alii ad hanc diem vsque hæresim pertinaciter defendunt : & idcirco aliquando vnam, aliquando vero nullam prorsus voluntatem & operationem diuinitatis atque humanitatis Domini nostri Iesu Christi, iuxta impios, qui eos præcesserunt, hæreticos confitentur : commutantes orthodoxam patrum fidem in eas, quas excogitarunt, & contra catholicam ecclesiam induxerunt, * expositiones & formulas. Vnde non immunes erunt ab ea quæ ipsis irrogata a sanctis patribus ac Synodis est, horribili comminatione, vel potius a tremendo Dei iudicio. Quid enim in fide orthodoxa inuenerunt iniquitatis? *Quia elongauerunt a* Hier. 2. *me, dicit Dominus, & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt. Non enim dixerunt sacerdotes eorum, ubi est Dominus? & tenentes legem nescierunt me, & pastores præuaricati sunt in me: & prophetae prophetauerunt in Baal, & inutilia secuti sunt. Propterea adhuc iudicio contendam cum eis, ait Dominus: Considerate enim vehementer, & videte si factum est huiusmodi: si mutauit gens Deos suos, & certe ipsi non sunt dii. Populus vero meus mutauit gloriam suam: de quo nihil ei proderit.* Quocirca obsecramus Ephes. 4. *vos fratres dilectissimi, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem in caritate, solliciti seruare unitatem spiritus in vinculo pacis: vnum corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestrae: Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma: non deferentes collectionem vestram. perditio eorum non dormitat.* Hebr. 10. 2. Petri. 2. Persuasi autem sumus de vobis dilecti fratres, quod facilius putatis, coelum & terram transire, quam iota vnum, aut vnum apicē: quod est diuinitas eius atque humanitas, mystice in figuram crucis formata, iis qui proposita intellectualiter percipiunt ex tradita nobis a sanctis patribus & Synodis fide, quam vos quoque literis ad nos datis, & synodaliter confessi estis: qua pie prædicastis, ipsum solum potentem Deum ac Dominum nostrum Iesum Christum duas habere naturas in hypostasi inconfuse & indiuisse unitas, duasque naturales voluntates, ac duas naturales operationes, increatam & creatam, diuinam & humanam, cohærenter unitas; ad demonstrandum eundem & vnum Dominum nostrum ac Deum, perfectum in diuinitate, & perfectum eundem in humanitate absque solo pecca-

to esse, vt Deo & patri consubstantialem secundum eius diuinitatem, & perpetuæ Virgini consubstantialem secundum eius humanitatem, & totum eundem in propriis sempiternæ ac sine principio, eundemque totum in nostris, in vltimis temporibus, sine diminutione ac sine phantasia. Nam in hac prædicatione diuina firmiter fundamentum ecclesiæ integrum stat, inconcussum signaculum habens veræ patrum confessionis. Aduertite igitur diligenter, fratres, ne quis desit gratiæ Dei, quæ per ipsos sanctos nobis tradita est, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, ac per eam inquinentur multi: scientes, quod non ad tractabilem & accensum ignem accessimus, sed ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem, & multorum millium angelorum frequentiam, & ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, & iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinem aspersiois melius loquentem quam Abel, & horribiliter ac minaciter redarguentem eos, qui orthodoxæ in ipsum fidei præuaricatores sunt. Propter quod remissas manus & soluta genua erigentes, & gressus rectos facientes pedibus nostris, ad brauium supernæ vocationis properemus, obliuiscentes quidē hæreticos, qui post sensum suum ambulauerunt; ad patres vero, qui ante nos in orthodoxa fide consummati sunt, nosmetipsos extendentes: qui nobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem, cuius causa offerimus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nominis eius. *Talibus enim hostiis promeretur Deus.* Itaque regnum immobile suscipiētes, habemus gratiam, per quam seruiamus placentes Deo cum metu & reuerentia: etenim Deus noster ignis est consumens aduersarios, quem vt lucē inaccessibilem, & splendorem gloriæ, & characterem paternæ substantiæ, digni efficiamini posterius nobiscum videre, id est cum sanctis qui a sæculo fuerunt, per sinceram in ipsum & orthodoxam fidem, sorte secundum promissum vobis distribuentem quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se: cui cum Patre & Spiritu sancto gloria, honor, potestas, adoratio nunc & sēper & in sæcula sæculorū. Amen.

EPI-

*Hebr. 13.**Hebr. 12.**1. Cor. 2.*

EPISTOLA V.

MARTINI PAPÆ I.

AD IOANNEM EPISCOPVM PHILADELPHIÆ.

Constituit eum in oriente vicarium cum potestate constituendi episcopos, & presbyteros, lapsosque ad fidem redeuntibus in pristino dignitatis gradu collocandi: improbat Macedonii & Petri electionem ab hæreticis factam: mittit acta Concilii publicanda.

*Ioanni episcopo Philadelphie Martinus seruus seruorum Dei,
sanctæ eius catholicæ & apostolicæ Romanorum
ecclesiæ episcopus.*

FIDELIS sermo, & omni acceptione dignus, quem de te accepimus, dilecte frater, & ex iis quæ ad nos a te scripta sunt, & ab iis qui experimentum iam ceperunt spiritualis tuæ secundum Deum conuersationis, Stephano nempe dilecto coepiscopo nostro, & comitibus eius, monachis mansionis sancti Theodosii. Notum enim fecerunt nobis studium te de iis habere, in quibus episcopum esse oportere apostolicus sermo determinat: *Sobrium, prudentem, ornatum, hospitalem, doctorem, modestum, non litigiosum, non cupidum, suæ ecclesiæ bene præpositum.* Hæc igitur audientes, gratiam habemus Deo, cui seruimus a iuuentute nostra, qui confortauit vos cum omnibus qui eum diligunt, vt ad mensuram perueniretis huiusmodi Deo amabilis virtutis: quoniam iis qui secundum propositum vocati sunt, omnia cooperatur, qui nobis etiam omnia diuinæ eius virtutis, quæ ad vitam & pietatem pertinent, donauit per cognitionem eius qui vocauit nos propria gloria & virtute: per quæ preciosæ magnæque promissiones donatæ sunt, vt per hæc fimus diuinæ consortes naturæ, fugientes eius quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem. Sic igitur procedentem in Domino, & ascensiones ad eum facientem de gloria in gloriam, caritatem tuam exhortamur, religiosissime frater, nostram istic vicem implere, id est, in orientis partibus, in omnibus ecclesiasticis functionibus atque officiis: vt in hoc maxime, sicut oportet, suscites gratiam Dei, quæ inte est per impositionem sacerdotalis dignitatis, & nostræ apostolicæ vicis. *Non enim dedit nobis Deus spiritum* 1. Tim. 3.
Concil. Tom. 15. 2. Tim. 1.

timoris, sed fortitudinis, & dilectionis, & prudentiæ ad tollendam omnem hæresim, quæ verbo fidei aduersatur, & ad omne vitium expugnandum, quod virtuti diuinæ contrarium sit: vt sic prosperans in Domino, ea quæ defunt corrigas, & constituas per omnem ciuitatem earum quæ sedi tum Hierosolymitanæ, tum Antiochenæ subsunt, episcopos & presbyteros, & diaconos: hoc tibi omni modo facere præcipientibus nobis ex apostolica auctoritate, quæ data est nobis a Domino per Petrum sanctissimum, & principem apostolorum; propter angustias temporis nostri, & pressuram gentium: ne vsque in finem in illis partibus deficiat sacerdotalis decoris eximius ordo, ac ne inde de cetero nostræ religionis magnum & venerandum mysterium ignoretur: Si iam non sit sacerdos, & sacrificium aut spirituale libamen, quod iugiter Deo in odorem suauitatis pro salute populi offeratur. Nam oportet in hoc maxime tempore pastoribus spiritualibus frequentari ac muniri quæ vbique sunt Dei catholicas ecclesias, quo iuxta ipsius Domini prædictiones, tribulationes propter peccata nostra venerunt, quales non fuerunt ab initio mundi vsque modo, neque fient, cum quibus & magnæ scandalorum tentationes, vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Quocirca ne differas omnimodo, dilecte, implere, iuxta præceptum nostrum, episcopis, & presbyteris, & diaconis, quæ istic sunt catholicas ecclesias, qui per propriam eorum conuersationem in omnibus bonis testimonium habeant. Oportet enim episcopum, sicut beatus Paulus dicit, sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, prudentem, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere: presbyteros sobrios, prudentes, sanos in fide, in dilectione, in patientia: diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes. Hæc enim faciens, & te ipsum saluabis, & rationabiles Dei greges, incursum effugientes luporum, huiusmodi sacerdotum diligentia. Dolor enim mihi est magnus, & incessabilis molestia cordi meo, quoadusque

Sublato sacerdotio, religionis ignorantia obrepit.

Malis temporibus sagendum maxime, vt numerosus vbique sit clerus, qualis hic ponitur.

Matth. 24.

Tit. 1.

per vestrum in Christo studium, hoc opus absolutum videam. quandoquidem hoc & prius apostolica hæc sedes fieri præcepit per memoratum Stephanum, dilectum coepiscopum nostrum. Sed hoc salutare propositum ad effectum venire prohibuerunt, qui talia prohibere dignos seipsos præstiterunt: qui pro arbitratu suo, ea quæ ædificationis sunt, nota ei omnino non fecerunt, nempe præcepta demandatæ vicis apostolicæ huius cathedræ, quibus iussus est electiones ibi facere eorum, qui ad curam Christianissimi populi deligendi sunt: solummodo autem ei significarunt de depositione, timorem Domini minime cogitantes, neque in his formidabilem eius indignationem. Quoniam igitur, vt nosti, dilecte frater, in ædificationem magis quam in destructionem a Domino potestatem accepimus: studio tibi sit, ea quæ ædificationis sunt operari, dato tibi per nos eius discipulos apostolico præcepto & potestate: & gratia dignos promouere nequaquam dubites, ad incolumitatem & securitatem ecclesiæ catholicæ, cum magna dilectione exhortans eos, qui iam depositi sunt, conuerti ad Dominum; potest enim eos rursus in admirabilem lucem suam adducere, qui hæc facit, & immutat, prout vtilius est. Quocirca etiam hortatur propheta dicens eis: *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur: quæ vero signantur lumine. Et, Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Lauamini, mundi estote, auferte nouitates cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite a commentitiis vestris dogmatibus; discite bene confiteri, quærite orthodoxam fidem: & venite, & recipiam vos, dicit Dominus.* Quare nimium propter ipsos aprior, donec rursus formetur in iis per fidem Christus. Vnde pro ipsis indefinenter diu noctuque cum lacrymis obsecrationem facio, vt ipse qui propter nos in carne voluntarie passus est, rursus eos virtute proprii & viuifici sanguinis ad seipsum & nos indissolubiliter per sinceram concordiam vniat. Cognoscens igitur, dilecte, huiusmodi nostrum de ipsis mœrorem, ne cesses per misericordiam Dei continenter eos hortari, & propheticam iis quotidie decantare vocem, quæ dicit: *Numquid* Jerem. 8.

Concil. Tom. 15.

C ij

* *Jacob. 4.*
Appropin-
quate Deo,
& appropin-
quabit
vobis.
Jer. 23.
ixta 70.

*qui cedit, non resurget; & qui auersus est, non reuertetur?** *Ap-*
propinquate mihi, & appropinquabo vobis, dicit Dominus: quia
Deus appropinquans ego sum, & non Deus de longe. Prope enim
Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate, quæ a sanctis pa-
tribus prædicatur. Et vero ne defatigeris hoc faciens. Scri-
ptum est enim: Bonum facientes ne deficiatis. Optime autem
audiens dicentem: Fratres mei, si quis ex vobis errauerit a
veritate, & conuerterit quis eum; scire debet, quoniam qui con-
ueriti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius
a morte, & operiet multitudinem peccatorum. Et rursus: Si
separaueris preciosum a vili, quasi os meum eris: & conuerтен-
tur ipsi ad te, & tu non conuerteris ad eos. Et dabo te popu-
lo huic in murum æneum, fortem. Quapropter si virtuti gra-
tia mentem obsequentem habebunt, & obedientem au-
rem, vt persuadeantur, & audiant vocem Domini, vt
eum per veram confessionem cognoscant; confirma v-
numquemque eorum in proprio ordine, scriptos libellos
ipsis dantibus de orthodoxa fide: vt fructum Deo ferant,
aliorum conuersionem & meliorationem: atque vt mul-
tum fructum afferentes, maiore a Deo honore digni ha-
beantur. Hoc etiam omnino aduertet caritas tua, in iis
qui ab ipsa confirmantur, aut eliguntur, ne quo modo,
præter hæresim quæ ab ipsis dato libello euacuatur, alia
quædam peccata, notata Canone, eorum impediunt vel
confirmationem vel electionem. Impossibile enim est, ea
contegere vel prætermittere, quæ continentem locum
defensionis non habent: sed omnino in iis qui libenter
peccant & amant peccare, denegare oportet eam veniam,
quæ in huiusmodi lapsibus ex dispensatione datur: ne &
ipsi propter Canonis contemptum amplius grauentur, &
nos in culpa simus, iniuste agendi iis licentiam permit-
tentes. Defensores enim diuinorum Canonum & custo-
des sumus, non præuicariatores: quandoquidem præuari-
cationibus coniunctæ manifesto retributiones sunt. Cuius
rei gratia, hortamur Canonem obseruari in iis, qui præter
mentem ac scientiam seipso elegerunt vel delecti sunt
in patriarchia beatæ memoriæ Sophronii. Qui sane ante
ipsius patriarchiam, vel post decessum in Domino, a qui-
busdam non conuenienter electi sunt, propter angustiam
(vt dictum est) temporis, vel quod eius copia non esset,

Jacob. 5.

Jer. 15.

qui iudicio adhibito siue iuxta Canones eligere deberet, vel permittere : tales datis scriptis libellis confirmari mandamus, nullatenus inde Canonis præiudicio facto. Nouit enim Canon afflictorum temporum persecutionibus veniam tribuere, in quibus contemptus non præcessit, præuagationem redarguens : sed angustia magis & penuria, quæ propter necessitatem, ex misericordia cogit multam diligentiam prætermittere. Sed hæc de istis. Eius vero qui falsè episcopatus sibi nomen affinxit, Macedonii dico, importunas literarum minas, siue protestationem, fortiter despuo, ut rabidi canis & temerarii latratum; auscultans ei qui dicit : *Nolite timere opprobrium hominum, & contemptu eorum ne vincamini.* Hunc enim episcopum catholica ecclesia nullo modo nouit, non solum quod is præter Canones in externa regione sine consensu, & absque ullo certo decreto, hanc sibi appellationem usurpauit : sed & quod consentiat hæreticis, qui hæreseos suæ appendicem, eius electionem per contemptum tumultuarie fecerunt : quemadmodum & Petri, qui ab iis nominatus est & assimulatus episcopus Alexandria: ut per plures & ascriptitias personas, hæresim suam munitionem utique reddant : quam una cum ipsis impræsentiarum canonice hic & synodaliter anathematizauimus, Theodorum videlicet, qui Pharan episcopus fuit, & Cyrum qui Alexandria, & Sergium qui Constantinopolis, eiusque successores Pyrrhum & Paulum, & eos qui similia ipsis senserunt, aut sentiunt, vel sentient, & usque in finem non poenituerint aut se correxerint : quibuscum & typum, quæ ex suggestionem ipsius Pauli nuper facta est, contra integritatem nostræ Christianæ fidei : definientes, ut ubique omnes orthodoxi pie sentiant & confiteantur, sicut tradiderunt nobis præcipui catholicæ ecclesiæ patres & sanctæ vniuersales quinque Synodi : id est, duas eiusdem & vnius Domini ac Dei nostri Iesu Christi secundum hypostasim vnitas inconfuse & indiuisas naturas, ex quibus & in quibus constat : duasque iuxta naturam operationes, ac duas iuxta naturam voluntates, diuinam & humanam, in vno & eodem connaturaliter vnitas & seruatas. Quæ ut cognoscat tua in Domino spiritualis dilectio, ac per te omnes quæ istic sunt ec-

*Isa. xl. iuxta
70.*

clesiae catholicae : hæc ipsa a nobis hic synodaliter gesta, ad
 constituendam defendendamque catholicam ecclesiam,
 vna cum encycliis nostris & synodalibus literis misimus
 per presbyterum & apocrisarium nostrum, abbatem
 Theodorum, & monachos sancti Theodosii religiosissi-
 mæ mansionis, Ioannem, Stephanum, Leontium, qui
 huiusmodi nostræ apostolicæ Synodo interfuerunt, &
 per gratiam Dei ipso visu didicerunt quæ insecuta sunt
 omnia, & canonice definita. Quæ ipse firmiter custodiens,
 denuntia quoque omnibus, qui istic sunt, fidelibus po-
 pulis inuiolabiliter tenere, vt propriarum salutem ani-
 marum. Quapropter testificor coram Deo & Iesu Chri-
 sto & electis angelis, vt hæc custodiens, amoto omni
 præiudicio, nihilque placendi causa faciens, sed ex pura
 conscientia, euangelium gratiæ tradas omnibus sicut ac-
 cepisti & a sanctis patribus, & a nobis ipsis, qui synoda-
 liter sanctiones eorum confirmauimus. Ne igitur erube-
 scas testimonium Domini nostri Iesu Christi, sed confor-
 teris gratia ipsius : & quæ audisti a nobis per multos te-
 stes, siue demonstrationes ex scripturis & ex patribus, ea
 commenda fidelibus hominibus, qui idonei sint ad alios
 quoque docendos. *Tu collabora euangelio ex virtute Dei, vt
 bonus miles : certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æ-
 ternam. Quandoquidem manifeste magnum est pietatis sacramen-
 tum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu,
 apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mun-
 do, assumptum est in gloria. Propter quod hæc doce & exhortare,
 testificans coram Deo, non excitare pugnas verborum absque uti-
 litate, ad subuersionem fidei. Si quis autem aliter docet, & non
 acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ
 secundum pietatem est doctrinæ; superbus est, nihil sciens, sed lan-
 guens circa quæstiones & pugnas verborum importunas, ex qui-
 bus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspensiones ma-
 læ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui verita-
 te priuati sunt, reprobi circa fidem : sed ultra non proficient. Insi-
 pientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit :
 id est illorum, qui ante ipsos fuerunt, hæreticorum. quos
 deuittans, carissime, permane in iis quæ didicisti, & credita
 sunt tibi, sciens a quibus didiceris. nemo sacerdotium tuum con-
 temnat : sed forma sis omnibus in sermone, in conuersatione, in di-*

1. Tim. 3.

1. Tim. 6.

2. Tim. 3.

1. Tim. 4.

lectione, in fide, in sanctitate. Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per sacerdotalem dignitatem, & functionem nostræ apostolicæ vicis: ut profectus tuus omnibus manifestus ac testatus sit, & ante omnes ipsi Deo, apud quem susceptorum pro virtute & pietate laborum reposita est dignis laus & corona iustitiæ, quam reddet tibi iustus iudex, qui perfecte serues eius orthodoxam fidem, & mandatum prompto animo impleas, in gloriosa eius ac tremenda apparitione. Ecce vero in auxilium, ut magno studio, ac sine vlllo impedimento, caritas tua ministerium impleat, a nostra apostolica auctoritate tibi commissum: hortati sumus Deo amabiles episcopos, ipsum dico Theodorum Esbuntiorum, & Antonium Bacatorum, adesse in omnibus, ac pro viribus inseruire huiusmodi spirituali voluntati tuæ: quibuscum & Georgium, dilectum presbyterum & archimandritam, & Petrum Christi amantem, Adraensem nempe, ac omnino eos, qui in illis partibus fidem Dei verumque zelum habent: quorum merces plurima erit apud Deum, cum vobis promptitudinem animi studii-que sui præstiterint in omni obedientia & gratiæ perfectione.

EPISTOLA VI.
MARTINI PAPÆ I.

AD THEODORVM EPISCOPVM
ESBUNTIORVM.

Ostendit eum sua confessione hæreticorum furorem repressisse, & ad obediendum Ioanni Philadiæ episcopo, quem constituerat vicarium, hortatur.

*Theodoro episcopo Esbuntiorum Martinus seruus seruorum Dei,
sanctæ eius catholicæ & apostolicæ Romanorum
ecclesiæ episcopus.*

EST confusio adducens peccatum, & est confusio adducens Ecclef. 4.
gloriam & gratiam. Tu igitur, religiosissime frater, confusionem vituperabilem culpans, scripta tua secundum Deum satisfactione, gloriam tibi & gratiam acquisuisti. gloriam quidem, orthodoxam de ipso Domino ac Deo nostro confessionem: gratiam, vero splendorem tuo-

rum in virtute illustrium studiorum: quibus non solum nobis innotuisti in pietate perfectus, sed & ipsi vniuersorum Saluatori Christo cum multa libertate placitus: ut in vobis apostolicum illud de sanctis dictum impleatur:

Hebr. 11. Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum. Vicisti enim, religiosissime frater, aduersarii diaboli malum regnum, iustitiam in fidei confirmatione operatus es: cuius gratia adeptus repromissiones Spiritus, hæreticorum ora tamquam leonum obturasti, ac extinxisti eorum impetum hæreseos, quasi flammam ignis aspiratione gratiæ: qua ita confortatus, imbecillitatem sententiæ illorum deuicisti. fortis in bello contra eos suscepto fuisti, eorumque infirma adulterinorum dogmatum castra sufficienter vertisti, ac victor per proprium scriptum productus es ad victoriæ auctorem, Saluatorem omnium Christum: qui idcirco sacerdota-lem in te dignitatem apostolica confirmauit auctoritate. Verum ne cesses laudationes eius in gutture perpetuo habere, eique placitum sacrificium offerre, rationabile obsequium tuum. Sic enim & supernæ gloriæ præsentia dignaberis, & cælestibus Christi muneribus imbue-
ris. Quæ autem synodaliter a nobis hic gesta sunt, ad confirmationem defensionemque ecclesiæ catholicæ, id est paternarum eius ac synodaliū definitionum, nuper misimus ei, qui a nobis vicarius canonice designatus est, dilecto fratri nostro & episcopo Philadelphensium ciuitatis: cui bene facitis assentientes, & omnes orthodoxos vna vobiscum excitantes ad eorum articulorum implementum, qui ei pie commissi sunt, ad commendationem ecclesiæ catholicæ. Nam pro eo multa vobis in sem-piterno regno merces erit.

EPI-

EPISTOLA VII.
 MARTINI PAPÆ I.
 AD ANTONIVM EPISCOPVM
 BACATHORVM.

Cum iam resipuerit, vt in fide catholica persistat, & Philadelphix episcopo pareat, eum admonet.

Antonio episcopo Bacathorum Martinus seruus seruorum Dei, sanctæ eius catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ episcopus.

DECIPI quidem & falli commune est propriumque humanæ infirmitatis; at in melius commutari, solius opus est gratiæ; quæ erga eos qui secundum nos in omni sermone & opere digni sunt, perfectè bono Deo conuenit, & sanctum eis optimæ secundum eum conuersationis spiritum firmiter præbet. quod in vobis cum omni satisfactione euenisse, religiosissime frater, vestræ literæ significarunt, afferentes, per veram de Domino confessionem, bonam vestram bonique odoris fidem: quam in spiritu suscipientes, & secundum Deum ea delectati, sacerdotalis dignitatis vnguentum ei retribuimus, ex auctoritate apostolica signatum: vos semper hortantes, vt in verbo gratiæ permaneatis, vt exemplo aliis esse studeatis, eorum exciteris studium, & vestro zelo ad meliorem mentem omnes conuertatis, qui superinductam nouitatem secuti, in Domino resurgunt: vt illi cum omnibus sanctis rectas faciant vias suas, gressus rectos facientes pedibus suis, per piam patrum doctrinam, & efficacem mandatorum obseruationem. *Huius enim rei gratia flecto gen-* *Iacob. 1.*
nua mea ad Deum & patrem, a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit: vt det eis secundum diuitias gloriæ suæ, prompte conuersis, confirmari per spiritum eius in interiori homine: vt rursus in eis habitet Christus per orthodoxam in eum fidem: vsque sit vnum ouile & vnus pastor, is qui super omnes est Deus ac Dominus noster Iesus Christus, medium parietem maceriæ soluens, & colligens eos qui longe sunt & qui prope, per lapidem angularem, in vnam & eandem salutarem confessionem. quam vna nobiscum ipsi quoque firmiter te-

Concil. Tom. 15.

D

nentes, omnino confirmabimini, positi in sorte sanctorum, ad ea bona quæ sensum & cogitationem omnem excedunt, perfruenda. Quæ vero synodaliter a nobis hic gesta sunt ad commendationem defensionemque ecclesiæ catholicæ, id est paternarum & synodaliū eius definitionum ac decretorum, nuper misimus, canonicè designato a nobis vicario, Ioanni, dilecto fratri nostro & episcopo Philadelphensium ciuitatis: cui bene facitis consentientes, & omnes orthodoxos vobiscum excitantes, pro adimplerione eorum, qui pie ipsi commissi sunt, articulorum, in laudem ecclesiæ catholicæ. Pro eo enim multa vobis merces in regno cælorum est reposita.

EPISTOLA VIII.

MARTINI PAPÆ I.

AD GEORGIVM ARCHIMANDRITAM
MONASTERII SANCTI THEODOSII.

Laudat eum ob apostolicæ sedis ministrum defensum,
& vt Philadelphorum episcopo obediat.

*Georgio archimandritæ Martinus seruus seruorum Dei, sanctæ
eius catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ episcopus.*

TE spiritu vegeto ac viuido esse, dilectissime, significat virtutis tenor. Effers enim huiusmodi spiritualis roboris apertos characteres, in quibus insigne est atque eximium caritatis non fictæ studium, quo ostendisti, te non verbo, neque lingua, sed opere & veritate diligere, iuxta mandatum Domini: qui per proprios monachos nobis eum conseruasti, qui a nostra apostolica cathedra missus est, Deo amabilissimum Stephanum episcopum ciuitatis Dorensium, pro quo mercedem a Domino habentes, satagite ad certamina pro pietate studiosius vos extendere, & virtutum reginam, sanctissimam nostram fidem omni bono zelo defendere: vt eos qui ipsi præter rationem aduersantur, misericorditer conuertas, vel non conuertentes se redarguas: vt integrum catholicæ ecclesiæ verbum conseruantes, Christum, rectorem eius ac sponsum habeatis, in thalamo cælestis regni vos gratia reficientem: cum ei, qui vos adluctam & pugnam delegit, complaciti fueritis in spiritualis certaminis ra-

tione. Quæ hîc a nobis synodaliter acta sunt ad commendationem & defensionem ecclesiæ catholicæ, id est, paternarum ac synodaliû eius definitionum & sanctio-
num, proxime misimus a nobis canonice delecto vica-
rio, Ioanni dilecto fratri nostro & episcopo Philadelphien-
sium ecclesiæ: cui recte facitis tum consentientes, tum
omnes orthodoxos vobiscum excitantes ad impletionem
eorum, qui pie ipsi commissi sunt, articulorum, in lau-
dem ecclesiæ catholicæ. Vobis enim pro eo multa mer-
ces in regno cælorum retribuetur.

EPISTOLA IX.

MARTINI PAPÆ I.

AD PANTALEONEM.

Absolutum fuisse Dorensem episcopum falso ab eo de-
latum. peccasse illos, per quos actum est, quo minus
sedis apostolicæ auctoritatem receperit episcopos &
presbyteros ordinandi. & quid cum his, qui non ca-
nonice in patriarchatu Hierosolymitano electi fue-
rant, agendum.

*Pantaleoni Martinus seruus seruorum Dei, sanctæ eius Romanæ
catholicæ ecclesiæ episcopus.*

SEMPER quidem omnis hominum vita, propter con-
demnationem ortam e transgressione Adam primæ-
ui patris, non in aliis omnino esse cognoscitur, quam in
gemitibus & lacrymis; sed nunc præcipue, propter pec-
catorum abundantiam, & inflictionem vehementiorum
propter ipsa correptionum & pœnarum: quandoqui-
dem errori & amentię delicti, castigationis & emenda-
tionis medicinam Dei humanitas adiunxit. Quod cari-
tas tua manifeste cognoscens, non debuit ita se gerere
aduersus eum, qui ab apostolica sede missus esset, Ste-
phanum Deo amabilem episcopum Dorensium ciuita-
tis, aut eiusmodi de eo ad nos per propriam relationem
transmittere, cum Saluatoris nostri mandatum id non
facere iubeat, sed præcipiat inuicem sincere diligere. Ec-
ce enim illa diligenter expendentes, vana prorsus inue-
nimus, nec vllis argumentis demonstrata. atque idcirco
eum merito ex apostolica iustificauimus auctoritate: iis

Concil. Tom. 15.

D ij

1. Reg. 2.

autem qui contra eum scripserunt, crimen dimisimus, Canonis rigorem misericordia temperantes, & ad resipiscenciam ipsis sufficere existimantes fabulæ reuelationem. Nam aliud talium hominum peccatum ad remissionem sola indiget Saluatoris nostri bonitate. Scriptum est enim: *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Vniuersam enim, quæ istic est, catholicam ecclesiam clausurunt, quantum in ipsis est, qui vel fecerunt vel consenserunt, ne memorato episcopo redderentur missa ad eum ab apostolica sede præcepta, quibus eius vicarius constitutus est, ac iussus, propter temporis angustias, id est, propter pressuram irruentium in nos gentium, canonice instituere, ad supplementum ecclesiastici ordinis, episcopos & presbyteros & diaconos, quoad potestas nobis defuit ad promouendum patriarcham Hierosolymorum. Oportebat igitur eos qui se zelum habere profiterentur, hic zeli ardorem exhibere: vt Christianorum augeretur & exaltaretur cornu, incremento siue creatione sacerdotum. Oportuit passionem humanam vinci, propter salutarem Christi Dei passionem. Oportuit humanæ contentioni anteferre catholicæ ecclesiæ ædificationem, nec violari apostolicam de eo iussionem. Dicit enim ad Samuel Deus: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Ea enim fecerunt, quæ nec hæretici vnquam ausi sunt facere; abscondentes ea quæ ad creationem & institutionem pertinebant: ea vero tradentes, quæ ad depositionem. Quam igitur defensionem habebunt, cum iam propter eos non sint ibi episcopi & sacerdotes, qui iugiter altari insistant, & sacrificia atque oblationes pro populo ad salutem animarum offerant? quamuis cognoscant, quod vltima hora sit, & scandalorum tempus immineat. atque idcirco oportebat pluribus episcopis & presbyteris & diaconis prouidenter ecclesias Dei vbique increbrescere, quemadmodum nauim, quæ in pelago tempestate iactatur, pluribus gubernatoribus & nautis.

1. Reg. 8.

Ecclesiam
præcipue
ædificat qui
de numero-
so & bono
clero est
solicitus.

huius enim rei gratia & nos in ædificationem præcipue, & non in destructionem a Domino potestatem accepimus, vt populis fluctuantibus humane ac benigne optulemur. Vnde ob hanc potestatem mota apostolica se-

des nihil prætermisit, quo catholica istic ecclesia per memoratum religiosum episcopum conuenienter sacerdotale decus recuperaret. qui vero id prohibuerunt, sibi de eo imputabunt rationem. cuius causa lugens & contristatus ingredior, dies noctesque bonitatem Dei cum lacrymis obsecrans, ne hereditatem suam usque in finem repellat; sed ostium aperiatur, quod illi concluderunt: ut rursum istic sacerdotii eius, per supplementum episcoporum, splendor & ornamentum exoriatur: ecclesiae oues cura pastoralis seruans, & a luporum insidiis vigilantibus studio eripiens. De iis, qui non canonice istic electi sunt in patriarchia beatae memoriae Sophronii, eum Canonem inuiolabiliter decernimus custodiri, qui a sanctis apostolis & patribus nostris constitutus est de iis qui in alia ciuitate præter sententiam scientiamque pontificis, qui ei ciuitati præest, vel eligunt, vel eliguntur, vel consentiunt, vel conuocant. Canones enim ecclesiasticos soluere non possumus, qui defensores & custodes Canonum sumus, non transgressores. tamen utramque sedem illi violarunt: hanc quidem apostolicam sedem, quod creationum præcepta non dederint, ut ante dictum est: sedem vero sancti Iacobi, quod Sophronium celare studuerint, ut ceteri libere, sicut ipsi volunt, non sicut sanctus Spiritus iubet, electiones sibi arrogarent. tales propterea ecclesiae Canon castigat. non enim confusionis ac turbationis Deus est, sed ordinis & pacis. Qui vero ante ipsius patriarchiam, aut post dormitionem memorari Sophronii creati sunt: de iis scripsimus, propter temporis angustiam, quæ sic creatis defensionis locum præbet, cum inde ecclesiastico Canoni nullo modo præiudicetur: ut, cum libellum sinceræ poenitentiae siue orthodoxæ fidei dederint ei, qui nuper a nobis ad id istic delectus est, eos in proprio ordine confirmet, modo hi ex aliis peccatis non prohibeantur confirmari, quæ a Canone notata sunt. Transmissas autem dogmaticas chartas, siue quæ scripta sunt ab aduersariis damnamus una cum iis qui scripserunt, siquidem in propriae opinionis peruersitate maneant; ut & omnes hæreticos, cum omnibus impiis eorum scriptis: hortantes eos qui ubique orthodoxi sunt, ut in patrum doctrina, & iis quæ synodaliter definita sunt, ac nuper a nobis hic per Sy-

Lateran.
Concil. se-
cre. 2.

Electioes
factiois ca-
uenda.

nodum confirmata ad commendationem defensionemque ecclesiæ catholicæ, quæ breui nota omnibus faciemus, ea mittētes; firmiter, inuiolabiliterque permaneant. Nam hæc vos nobiscum pie seruantes, Dominique fidem bono zelo asserentes, res vestras feliciter geretis, ac promissa cælesti hereditate tandem dignabimini.

EPISTOLA X.

MARTINI PAPÆ I.

AD PETRVM ILLVSTREM VIRVM.

Commendatur eius vitæ integritas, hortaturque
vt vicario suo faueat.

*Petro illustri Martinus seruus seruorum Dei, sanctæ eius catholicæ
& apostolicæ Romanæ ecclesiæ episcopus.*

CVM in timore Domini, & caritatis dilectione vestram Christi amantem nobilitatem irreprehensibiliter ambulare a multis fide dignis personis didicissemus, merito ex toto corde ipsum Dominum ac Deum nostrum Iesum Christum glorificauimus: nihil enim æque ad eum collaudandum omnes commouere solet, quam integra vita virtutibus præfulgens: ex quibus in imagine pertransiens homo similitudinem conditoris sui exhibet, se ab irrationali separans. quandoquidem hanc nobis transgressio superinduxit, illam vero dilapsam in nobis rursus gratia reformauit, obseruatione mandatorum hominem secundum Deum formans, & eum efficiens sancti Spiritus templum: quod te, sordidarum depositione passionum, sapienter te ipsum constituisti, dilecte, ac merito ea sola cogitas, quæ sunt Iesu Christi, ad perfectam salutem festinans, quam tibi ardentem desideranti nos quoque conciliantes hortamur, vt intentiore studio vires tuas conferas Dei amantissimo episcopo Philadelphensium ciuitatis: quoniam eum vice nostra Deo iuuante fungi canonice iussimus, vt catholicas in illis partibus ecclesias decēter ordinet, in iis omnibus episcopos, & presbyteros, & diaconos creans, permittit ei a Domino per nos minimos, siue per auctoritatem sancti & principis apostolorum Petri, spirituali potestate: ne viduati in tam multis temporibus, talique afflictionis pressura, populi in terram squallidam & infrugiferam ver-

tantur: sed vt magis augeantur ac splendescant, instantia diligentiaque sacerdotum, qui vt constituentur, adiuvans vestra Christi amans claritudo per præfatum dilectum nostrum coepiscopum, propriæ matris, nempe catholicæ ecclesiæ viscera reficiet, ad salutem eius filiorum suum Domino studium ipsis operibus exhibens, a quo iuste in illo tribunali audies coram cælestibus angelis & omni sanctorum choro: *Euge serue bone, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.* *Matth. 25.*

EPISTOLA XI.
MARTINI PAPÆ I.

AD ECCLESIAM HIEROSOLYMITANAM
ET ANTIOCHENAM.

Nuntiat Monothelitarum hæresim in Concilio fuisse damnatam, ordinationemque Macedonii Antiochiæ, & Petri Alexandriæ perperam esse factam: Vt in fide catholica persistant, & Ioanni vicario, cui dictæ Synodi acta misit, obediant.

Dilectis fratribus, qui sanctæ Christi Dei nostri ciuitati, nempe Hierosolymitanæ sedi sacerdotaliter subsunt, orthodoxis episcopis, presbyteris, diaconis, præfectis monasteriorum, monachis ascetis, populis Christum diligentibus: similiter & iis qui censentur sub Antiochena sede, Martinus seruus seruorum Dei, & sanctæ eius catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ episcopus.

GRATIA vobis & pax a Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo in Spiritu sancto, qui per virtutes habitat in cordibus vestris. Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens super communicatione vestra in euangelio Christi, vt caritate magis abundetis in scientia & omni sensu, vt probetis potiora, vt sitis sinceri & sine offensa in diem Christi, repleti fructu iustitiæ in gloriam & laudem eius. Scire enim vos volo, fratres, de rebus præsentibus, id est, de furibus, qui temporibus nostris insurrexerunt contra orthodoxam fidem, nempe Theodoro, qui fuit episcopus Pharan, & Cyro qui Alexandriæ, & Sergio qui Constantinopolis, & eius successoribus Pyrrho & Paulo: quod hi per propriam hæresim valde moliti sunt perfodere, & thesauros siue dogmata

ecclesiæ catholicæ expilare. Nos vero, id est, huius apostolicæ sedis pontifices, ad custodiam domus peruigiles iuxta præceptum Domini, non permisimus eos hanc effodere, vel fidei furripere thesaurum: sed ipsos catenis impiæ eorum & adulterinæ doctrinæ constringentes, accurata demonstratione & examinatione eorum quæ ab ipsis contra integritatem Christianæ fidei scripta sunt, tum ipsos, tum ea quæ impie docuerunt, igne canonicæ sententiæ veluti mala zizania exurentes, synodaliter condemnauimus, vbique omnibus eorum hæresim publicantes: vt, cum omnes ex iis quæ a nobis nuper gesta sunt, eam contrariam & aduersariam paternis ac synodalibus ecclesiæ catholicæ definitionibus esse cognouerint, pii & orthodoxi, simili nobis modo, zelo Dei contra prædictos hæreticos moueantur, eosque & ipsorum hæresim damnent, omniaque pro ea ab iis impie acta & scripta, vna cum ipsorum suggestionem contra fidem facta, nempe expositione Heraclii imperatoris, & formula eius qui nunc serene imperat, atque omnibus qui similia ipsis senserunt, aut sentiunt, sensurive sunt, & vsque in finem in eiusmodi hæresi permanent, nec pœnitent; sed vnam dementer aut nullam omnino diuinitatis atque humanitatis Christi docent voluntatem & operationem, vt & naturam ex toto. nam ex eadem voluntate atque operatione, eadem inducitur substantia, iuxta sanctorum & orthodoxorum doctrinam patrum. quorum nos disciplinam inuiolabiliter custodientes ac defendentes, eos omnes qui contraria ipsis sentiunt, damnauimus ac damnamus. atque idcirco prædictos damnaui-
mus viros, vtpote qui ex iis quæ docuerunt, declarati sunt aliter quam illi, sentire, nec se vsque adhuc correxerunt, aut corrigi volunt. Quidam enim ipsorum in hæresi vitam finierunt, alii per suam hæresim etiam nunc vitam admodum perturbant: quamuis multis ac multorum religiosorum sacerdotum, in diuersis commorantium locis, non vtique solum nostris, siue huius catholicæ sedis pontificum exhortationibus & obtestationibus admoniti, vt a propria hæresi declinent, & ad Dominum per orthodoxam fidem accurrant: nec voluerunt intelligere vt bene agerent; sed in proposito suo obstinate perseuerarunt, & noluerunt conuerti ad Dominum. Vnde eos, veluti lapides scandali
&

& petram offensionis e via discimus, omnibusque diligenter Dominum semitam munuimus sinceræ in ipsum confessionis ex sanctorum patrum, & vniuersalium quinque Conciliorum doctrina: vt nobiscum iuxta sanctissimam illorum traditionem teneant ac prædicent duas eiusdem & vnius Christi Dei nostri naturas secundum hypostasim vnitas inconfuse atque indiuisæ: ac duas naturales voluntates, duasque naturales operationes, diuinam & humanam, increatam & creatam, connaturaliter vnitas: ad demonstrationem perfectam, quod Deus natura perfectus, & homo natura perfectus, absque solo peccato, idem vere existit. Quapropter hortamur dilectionem vestram, vt ita nobiscum semper credatis ac teneatis, deuittantes omnem hæresim, quæ contra catholicam ecclesiam & prius & nunc exorta est, insanosque hæresum auctores, quorum exemplo, vna cum vetere & nouum, quique temporibus nostris a vera doctrina aberrauit, Macedoniū hæreticum, quem contra Canones sibi finxerunt falsum Antiochiæ episcopum prædicti hæretici, quemadmodum & Petrum Alexandriæ tumultuarie creauerunt. Hos enim sibi consentientes nacti, concurrentesque in propriæ hæreseos exitium, & similiter ipsis expositionem nouæ doctrinæ formulamque superinductitiam accipientes, mercedē iniustam huiusmodi eorum impiæ consensionis ac vanitatis, fictam sacerdotii ipsis imposuerunt appellationem: non ab vllō legitimo suffragio aut ecclesiastica successione ad hoc inducti, sed a praua & hæretica excogitatione: vt per plures & adscriptitias personas, vt quidem putant, constituent inconsistentem suam & damnatam hæresim, Dei vero catholicam & apostolicam ecclesiam vastent, quam nos ædificare properantes in Spiritu sancto, ad maiorem eius stabilitatē conuenienter studuimus in præsentī præcipere, secundum potestatem nobis a Domino in gratia datam per sanctum Petrum apostolorum principem, Ioanni dilecto fratri nostro, episcopo Philadelphensiū ciuitatis, vt locum nostrum in omnibus ecclesiasticis articulis in partibus orientis suppleat, & creet in omnibus ciuitatibus, quæ Antiochenæ sedi, quæque Hierosolymitanæ sacerdotaliter subsunt, episcopos, & presbyteros, & diaconos: ne, sicut dicit propheta, *deficiant a comestione oues, eo quod non sint boues*

Vicarius æ-
postolicæ
sedis in o-
riente creat
episcopos.

Abac. 3.
iuxta 70.

Concil. Tom. 15.

E

in præsepibus, id est, fideles & orthodoxi populi, quod catholica ecclesia episcopos non habeant, qui spiritualem ipsis cibum excolant & præbeant, per aptam rerum conuenientium doctrinam atque institutionem, nuncque maxime, cum omnia nos misera deprehenderunt, & in nouissima tēpora conclusi sumus, in quibus multa in nos irruunt scādala, vt percellantur, si fieri potest, etiam electi, iuxta verifimas Domini prædicationes. Quamobrem, dilectissimi, ampliori & diligentiori cura rationabiles oues per sacerdotale officium munire debemus: *quoniam aduersarius noster diabolus, sicut leo rugiens circuit quærens quem deuoret: cui resistite fortiter in fide permanentes*: propter quod succincti lumbos vestros, perfecte sobrii, in gratiam, quæ vobis offertur, sperate, in susceptione nostræ apostolicæ de hoc obsecrationis & exhortationis: vt tamquam obedientiæ filii, vnanimiter omnes sacro diuinoque studio adiuuetis propositum apostolica auctoritate vicarium nostrum, nempe dilectū episcopum Philadelphensium, vt omnimodis perficiatis opus ministerii huius ad salutem animarū vestrarum: non configurati inobedientibus aut contradicentibus veritati per inconsistentem ipsorum hæresim: sed secundum eum, qui vocauit vos, sanctum, & ipsi sancti in omni conuersatione sitis, per obedientiā & gratiam in eodem verbo fidei. Ecce enim ipsi quæ a nobis synodaliter gesta sunt misimus, permittentes, vt ea vobis omnibus manifestet, & nota faciat quæ a nobis ibi confirmata sunt pia præconia sanctionesque præfatorum sanctorum patrum, & probatarū vniuersalium quinque Synodorum; atque vt nobiscum hortetur vos omnes pios atque orthodoxos, vt quemadmodum ex ipsis accepistis Dominum ac Deum nostrum Iesum Christū, sic in ipsum credatis, & in ipso ambuletis. *Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, & salutifera nostra de hoc accipite monita: vt exaltet vos in tempore diuinissimæ ipsius reuelationis*, in qua multa erit superque omnem cogitationem merces iis qui eius fidem & mandatum vsque in finem impræuaricabiliter seruauerint. *Deus autē omnis gratiæ, qui vocauit vos ad æternam ipsius gloriam, proficientes in omnibus bonis, & ascensionem virtutum in ipsum semper facientes, perficiat, stabiliat, cōfirmet ac fundet in ipsius metu & cognitione veritatis. Ipsi imperium & gloria cum Patre, & sancto Spiritu in sæcula sæculorum. Amen.*

Matth. 24.

1. Pet. 5.

2. Pet. 2.

Ibidem.

EPISTOLA XII.
MARTINI PAPÆ I.

AD PAVLVM THESSALONICENSEM EPISCOPVM.

Cum non modo, vt promiserat, non resipuerit, verum eo auctore apostolicæ sedis apocrisarii in hæresim fuerint inducti, anathematizatur & deponitur.

Paulo episcopo Thessalonica Martinus seruus seruorum Dei, sanctæ Romanæ catholicæ & apostolicæ Dei ecclesiæ episcopus.

DOMINVS ac Deus noster Iesus Christus, qui humana ipsius incarnatione inueteratam naturam nostram renouauit, ac proprio liuore plagam transgressionis nostræ sanauit, cum velit nos non iam de cetero peccare, ne per peccatum deterius quid nobis contingat, & tradamur æterno supplicio, cui traditur qui hic disciplina emendatus non fuerit; dignatus est nimia bonitate pœnis percutientibus quasi quibusdam vallis, animæ nostræ vias & aditus ad peccatum obsepire, ac munire. Idque significat per Oseam prophetam dicentem: *Ecce ego sepiam viam tuam spiritus* Osa. 2.
nis, & sepiam eam maceria: & semitas suas non inueniet, & sequetur amatores suos, & non apprehendet eos: & quæret eos, & non inueniet eos; & dicet: Vadam, & reuertar ad virum meum priorem: quia bene erat mihi tunc magis quam nunc. Vnde, ex humanitate immensa, non ea solum quæ a nobis per scientiam, sed etiam quæ ex ignorantia peccantur, condemnat, quæque ex obliuione, aut nuda cogitatione, aut cupiditate inutili; ne per ea quæ leuiora esse videntur, malitiæ viam ac semitam facientes, ex contemptu ad maiora peioraque peccata adducamur, nullo iam existente metu, qui impetum malitiæ nostræ per supplicium cohibeat. Maiora autem dico, quæ ex scientia per operationem peccantur, & ad malum finem veniunt: per quæ omnino excidimus a Deo, & vltimæ morti adiudicamur, vbi sempiterna quidem pœna est, nulla autem remissionis est venia: *Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?* dicit beatus Dauid. Psal. 6. Quod autem Deus ea quæ ex ignorãtia a nobis in ipsum delinquuntur, punit, ipse testatur dicens: *Ille autem seruus, qui cognouit* Luc. 12.
voluntatem domini sui, & non præparauit, & non fecit secun-
Concil. Tom. 15. E ij

dum voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Quod autem & ea, quæ inuoluntarie aut ex obliuione, præterquam oportet, perpetrantur, non inulta relinquit, ostendit rursum per Moysen: Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israel: Anima cum peccauerit per ignorantiam, & de vniuersis mandatis Domini, quæ præcepit ut non fierent, quippiam fecerit: si sacerdos, qui unctus est, peccauerit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino. Si peccauerit princeps, & fecerit unum e pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur, & postea intellexerit peccatum suum, offeret hostiam Domino, hircum de capris immaculatum.

Leuit. 4. & rursum: Anima si præuaricans ceremonias per errorem in his quæ Domino sunt sanctificata, peccauerit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus. Sic quoque ea quæ in corde, id est, in sola cogitatione consistunt, damnat dicens:

Dent. 15. Caue ne forte subrepat tibi impia cogitatio, & fiat tibi in peccatum. Et quæ ex intempestiua cupiditate fiunt, percutit, dicens:

Exod. 20. Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt. Quare si hæc quæ a nobis ex obliuione, aut ignorantia, aut abreptione, aut cogitatione, aut cupiditate contra rationem fiunt, omnino non præterit, sed aperte damnat vniuersitatis Deus, ut stimulum peccati nostri deleat, & damnationis nostræ mortem, quæ ex eo oritur, perimat; quali quæso aut quanta dignus est poena, qui diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnit; atque idcirco omni studio ac proposito per cognitionem peccat, & propriam in ipsum Deum transgressionem scripto nobis ostendit? quod ipse facere ausus es, idque non semel solum, sed iam iterum per synodales literas tuas, ignorans, ut videtur, quod bonitas Dei ad penitentiam te adducit: secundum autem duritiam tuam & impænitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera eius: iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærent, vitam æternam: iis autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum: episcopi maxime, & sacerdotis, qui aliorum dux esse

Peccati
mortalis
grauitas.

Rom. 2.

debet, eosque regere, & in viam pacis per veram in Christi-
 stum Deum confessionem adducere, non præcipitare in
 viam perditionis gressus sequentium populorum, per
 propriam hæresim. de quibus & per beatum Ieremiam
 Dominus dicit: *Væ pastoribus qui disperdunt & dilacerant* Jer. 23. & 50. & 12.
oues pascuæ meæ. Grex perditus factus est populus meus: pastores
eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus: de monte
in collem transferunt, obliui sunt cubilis sui. Omnes qui inuene-
runt, comederunt eos. Pastores enim multi demoliti sunt vineam
meam, conculcauerunt partem meam, dederunt portionem meam
desiderabilem in desertum solitudinis. Idcirco hæc dicit Dominus
ad pastores qui pascunt populum meum: Vos dispersistis gregem
meum, & eiecistis eos, & non visitastis eos. Ecce ego visitabo su-
per vos malitiam studiorum vestrorum. Et quia oblitus es mei, Jer. 13. inx-
& sperasti in mendacio; & ego reuelabo posteriora tua contra ta 70.
faciem tuam, & apparebit ignominia tua. Secunda
 Manifeste enim hæreticorū
 secunda dogmatum tuorum transgressio, etiam primam transgressio,
 voluntariam demonstraui, & ex praua meditatione, si- primæ mali-
 ue sensu hæretico contra fidem a te factam fuisse, non tiam osten-
 ex inuoluntaria abreptione, aut corde non ficto. Nos igitur
 oportuit, creditum nobis onus pontificalis ministere-
 ri reputantes, id est prouidæ animarum curæ atque di-
 ligentiæ, nullatenus morari ac differre, cum fides a te
 proderetur; sed rigore Canonis præcise vtentes, ex pri-
 ma interpellatione scriptum tuum vna cum eo qui scri-
 psisset, damnare: ne rationalibus Domini ouibus morti-
 ferum doctrinæ tuæ porrigens gramen, eos tecum per
 malam fidem mortificares, priuaresque æterna secun-
 dum Christum vita: pro quibus ipse animam suam posuit
 bonus pastor, & propter quas cælos inclinans, a patris
 non discedens sinu, venit in terram, vt perditam recu- Luc. 15.
 perans ouem, propriis humeris ad suum secundum natu-
 ram patrem humaniter referret, ac per viscera misericor-
 diæ cælesti gregi connumeraret. Sed per longanimita- In longani-
 tem sustinuimus, nec poenam infliximus, acceptis mise- mitatem ac
 ricorditer precibus Pithani episcopi, & Ignatii diaconi, miseri-
 tuorum apocrifariorum, qui maxime asseuerarent & as- cor-
 firmarent, eiusmodi literarum inuoluntariam esse abre- diam pro-
 ptionem, nec mentis ac certæ sententiæ opus esse illam prior apo-
 absurditatem dogmatis tui. Vnde & dicebant, statim ac stolica se-
des, quam
in seuerita-
tem.

fine mora a peiori dogmate in melius mutationem in te
 fore; site iuxta illorum postulatam de eo amanter mo-
 nuissimus, cuius rei causa nos hortati sunt, ut tibi osten-
 deremus, nos ea, in quibus lapsus es, notasse. quod uti-
 que per apocrisarios nostros fecimus, rigorem Canonis
 per caritatem omittentes, teque adhortantes, non ta-
 men præcipientes omnino tamquam subiecto huic apo-
 stolica sedī, ut huc venires, teque canonicè expurga-
 res de his quæ initio creationis tuæ non pie docuisti. Sed
Jer. 51. *curauimus*, inquit, *Babylonem, & non est sanata: quoniam*
peruenit usque ad cælos iudicium eius. Non solum enim ipse
 incorrectus mansisti, sed memoratos apocrisarios no-
 stros decepisti; idque erga eos fecisti, quod astutus ser-
 pens fecit aduersus Adam, desertorem vna secum eum
 constituens, qui a Domino mandatum acceperat. Tu e-
 nim simili modo, ut serpens, eos induxisti, ac persuasisti
 ut extenderent manum, ac pro eo ut caperent de scri-
 pto nostro, ad te in modum formulæ missio, non malum
 quemdam & promiscuum gustum, ut illic, id est de li-
 gno transgressionis, sed puram & sinceram sanctorum
 patrum confessionem: hanc enim pie ei scripto inserui-
 mus ad animæ tuæ correctionem: tu eam a te repulisti,
 proque ea adulterine subiecisti absurditatis tuæ doctri-
 nam, quo manum adiicerent. quæ omnino tibi non pro-
 fuerunt: tametsi visus es eos irretire multis sermonibus,
 & blanditiis labiorum protraxisti eos. at illi leuitate ela-
 ti, secuti sunt, nescientes animæ se periculum adire, quod
Proverb. 7. *iis fraudulenter struxeras. Verba enim fraudulentorum mol-*
lia, & feriunt intima viscerum. Nec audiuisti dicentem:
Proverb. 26. *Qui fodit foueam proximo, incidet in eam: & qui voluit lapi-*
iuxta 70. *dem, in seipsum voluit. Lingua enim mendax odit veritatem: os*
vero incustoditum facit ruinas. Quomodo igitur, cum hæc
 perpetraris in ipsos, & in exemplum formulæ perscri-
 ptum a nobis, & per ipsos ad te missum hortatu, ut di-
 ctum est, tuorum apocrisariorum, constituisti ad nos
 scribere, te ipsum decipiens, non nobis obrepens. Idcir-
Peruersorū
fallaciæ pu-
blicandæ. co certiores facimus patres qui vbique terrarum sunt,
 quod ea quæ visa sunt ad effectum perducentes, omni
 studio exposuimus nostram in Domino fidem. Sed audi
 quid princeps apostolorum ad eum dicat, qui veritatem

erat frustratus: *Cur tentauit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto? non es mentitus hominibus, sed Deo.* Ac simile aliquid fecisti ei qui per Samuelem prophetam audiuit a Domino: *Hæc dicit Dominus exercituum: Recensui quæcumque fecit Amalec Israeli.* Nunc ergo vade, & percutere Amalec, & demolire vniuersa eius. Qui cum non obedisset, ac dixisset Samueli, quasi per impudentiam glorians in transgressionem suam: *Benedictus tu Domino, impleui verbum Domini.* dixitque Samuel: *Et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis? Numquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediat voci Domini? Melior est enim obedientia quam victimæ, & auscultare magis quam offerre adipem arietum.* quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare. Pro eo ergo quod abiecasti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis rex. Dixitque Saül ad Samuelem: *Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini & verba tua.* At tu eius quidem transgressionem imitatus es, confessionem vero transgressionis non es æmulatus, nec dixisti, *Peccaui:* cum mutaueris Domini fidem, & deceperis nostros apocrifarios. Super quo tibi propitius esse potero? *Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? & in gente tali non ulciscetur anima mea?* Quamobrem hos quidem in cinere & sacco & afflictione animæ & corporum, & lacrymis pœnitentiæ, opprobrium ipsis a te illatum expurgare iussimus: quod non solum apostolicam contempserint potestatem, sed etiam sapientem non audierint parabolam quæ dicit: *Quando submiserit inimicus vocem suam, ne credideris ei: quoniam septem nequitie sunt in corde illius.* Te vero vna cum hæreticis tuis literis, id est, literis synodalibus, quæ & prius & nunc a te ad nos missæ sunt, sententia anathematis damnauius, ex eo die qui scriptus a nobis ac definitus est, nempe a die prima præsentis mensis Nouembris indiçtione viii. qua die missas a te lubricas literas accepimus & condemnauius: quoad ea, quæ synodaliter a te gesta sunt, quæque prius & quæ nunc, tu cum omnibus, qui quomodocumque vel scripto vel sine scripto iis patrocinantur, aut ea defendunt, nobis consentiendo damnetis & anathematizetis vt hæretica & vana. Primum quidem propter hærentem in his absurditatem reprehensibilem duodecim tuorum capitum, quæ tibi scripto nota feci, vt inexcusabilis sis,

si emendationem recuses. Deinde quod pium sermonem irritum facere in illis ausus es, impium vero dogma confirmare: qui hoc sustuleris, quod per naturam voluntas & operatio salutis nostræ sit in Domino nostro Iesu Christo, secundum vtramque earum, ex quibus & in quibus est, naturarum. in quo propter sublatas eiusmodi pias voces; sine voluntate ac sine operatione, quinimo sine substantia ac sine existentia in vtraque natura eum esse adstruxisti. quod enim est expers omnis substantialis voluntatis atque operationis, destituitur etiam ab omni substantiali existentia. Qui præterea sustuleris in præfatto tuo secundo synodali, & hoc, Omnia anathematizare quæcumque anathematizamus: vt per hoc non solum eos etiam quos anathematizamus, nempe ipsas impiorum hæreticorum personas, anathematizare recuses (nam si dogmata a te non anathematizentur, perspicuum est te ne personas quidem nefariorum hæreticorum anathematizare: siquidem hæreseos ipsorum causa, non causa naturæ, eos anathematizamus) sed vt etiam omnem omnium errorem paganorum, Iudæorum, hæreticorum in te confirmes. Si enim omnia omnium horum dogmata condemnamus, vt contraria & inimica veritati; tu vero omnia vna nobiscum voce non anathematizas quæ anathematizamus: consequens est, te horum omnium errorem confirmasse, qui a nobis siue ab ecclesia catholica anathematizatur. Qui igitur ista fecisti aduersus catholicam fidem; *Neglexisti me, dicit Dominus, & oblitus es fæderis mei dicentis: Non transgredieris de omnibus sermonibus, quos ego præcipio tibi hodie, dextra aut sinistra, vt eas post deos alios, vt colas eos. Et erit si non audieris vocem Domini Dei tui, vt custodias & facias omnia præcepta eius, & statuta eius, quæ ego præcipio tibi hodie: & venient super te omnes hæc maledictiones, & apprehendent te. Via enim tuæ & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi. Hæc malitia tua, quia amara est, quoniam attigit vsque ad cor tuum. Quomodo igitur dices, Non sum pollutus, nec ambulavi post superinductitiam nouitatem? Vide vias tuas in errore impressas, & cognosce quid feceris: quoniam si ablueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam, maculatus es in iniquitatibus tuis coram me, dicit Dominus: donec conuertens conuertas te sincere, & eum per piam confessionem diligas*

Deuter. 28.

Jerem. 2.

ligas in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. *Matth. 22.*
Hoc est enim primū & magnum mandatū, recte credere in Dominum ac Deum nostrum Iesum Christum, iuxta sanctorum patrum & probatorū atque vniuersalium Conciliorum doctrinam. Et nunc meliores fac vias tuas, & dogmata cordis tui emunda ab omni hæretica prauitate: & audi vocem Domini Dei tui, & cessabit Dominus ab omnibus malis quæ dixit in te. Ne igitur amplius per ea quæ scribis, aut inscite struis, vt alii pro te scribāt, patrocineris impietati, sed eam potius vt hæreticam accusa. Non enim iam homo pœnitens a malitia sua dicit, quid feci? *Ecce enim iudicio contendo tecum, dicit Dominus, cum dicis, Non peccaui: quia contempsisti me vehementer, vt duplices faceres vias tuas.* Quapropter cognoscens cognosces, quemadmodum diximus, quod depositus sis ab omni sacerdotali dignitate & ministerio in sancta Dei catholica & apostolica ecclesia, quoad sine vlla prætermissione omnia quæ a nobis hic synodaliter sancita sunt ac definita ad commendationem & confirmationem catholicæ ecclesiæ, videlicet dictorum sanctorum patrum, & vniuersalium quinque Synodorum, scripto confirmes, & nobiscum confitearis in vno sanctæ & consubstantialis & adorandæ Trinitatis Deo Verbo, qui propter nos incarnatus est, & perfecte humanatus, duas naturas secundum hypostasim vnitas inconfuse & indiuisæ: & duas naturales voluntates, duasque naturales operationes, diuinam & humanam connaturaliter vnitas, secundum sanctorum patrum doctrinam, ad veram confirmationem, quod Deus natura perfectus, & homo natura perfectus idem existit: vt per omnia proprie similis Deo & patri, præterquam quod pater ingenuitus est; & per omnia proprie similis nobis, solum absque peccato: & anathematizes omnes hæreticos, quos anathematizamus, id est, quos anathematizat catholica Dei & apostolica ecclesia, cum omnibus hæreticis ipsorum dogmatibus: & eos, qui nunc exorti sunt, hæreticos, & qui a nobis synodaliter propter ipsorum hæresim anathematizati sunt: Theodorum dico, qui fuit episcopus Pharan, & Cyrum qui Alexandria, & Sergium qui Constantinopolis, eiusque successores Pyrrhum & Paulum, cum omnibus ipsorum hæreticis dogmatibus, &

Concil. Tom. 15.

F

impia expositione, magisque impia formula eorum quæ ab ipsis nefarie firmata sunt, ad orthodoxæ fidei euersionem: & omnibus simpliciter, qui vane affirmant, vnam, siue nullam omnino confitentur diuinitatis & humanitatis Christi naturam, aut voluntatem, aut operationem: quos vt hostes & aduersarios suos catholica Dei & apostolica ecclesia iure abiicit, & anathematizat. Ne igitur repudies Domini sermonem, in impiis permanens. Pietas enim in Deum, principium est sensus ac sapientiæ: & si quæres eam vt argentum, & sicut thesauros inuestigabis eam; tunc intelliges timorem Domini, & cognitionem Dei inuenies. quoniam Deus dat sapientiam: & a facie eius cognitio & intelligentia, & reseruat salutem recte agentibus. Quare reuertere ad me, dicit Dominus, & non firmabo vultum meum super te: quoniam misericors ego sum, nec irascar tibi in aeternum. Tantum cognosce iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum impie egisti, & effudisti vias tuas ad alienos fidei, voci autem meæ non obedisti, dicit Dominus. Nam cognitio rerum tuarum conciliabit tibi celerem in iis correctionem: maxime si vna cum proprio dogmatis errore, corrigas etiam quod in sacros Canones peccasti. eos enim irritos facere ausus es, qui te ipsum per proprias literas non confessus sis, vt subditum huic apostolicæ sedi vicarium. Qui igitur in vtroque lapsus es, vtrique studeto conuenienter mederi. non enim aliter habebis perfectam a nobis veniam, nisi in vtroque nobis correctionem tuam exhibeas.

EPISTOLA XIII.

MARTINI PAPÆ I.

AD ECCLESIAM THESSALONICENSIVM.

De Pauli damnatione, eiusque hæresi fugienda.

Christum diligenti clero & populo sanctæ Dei catholicæ Thessalonicensium ecclesiæ, Martinus seruus seruorum Dei, sanctæ eius catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ episcopus.

VNIVERSITATIS opifex Dominus noster Iesus Christus, cum initio hominem fecisset, ad tutelam eius vitæ proprium ipsi largitus est mandatum, præcipiens id nullatenus transgredi, ne solutionis mandati fructum per-

ciperet propriam dissolutionem, id est, mortem. quod, cum accidisset, innotuit: ut omnes timore Dominum timerent, nec amplius ad mandati prævaricationem facile caperentur a diabolo qui nos primitus decepisset. Vnde humaniter saluti ipsæ nostræ prospiciens, inimicitias posuit inter nos & eum qui fefellisset, easque voluit perennes esse: quas artificiose augens, cum incarnatus homo secundum nos factus est, clamabat, dicens: *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium.* has qui non Matth. 10. accipit, inimico vitæ nostræ diabolo omnino fit amicus, inimicitias soluens, quas inter nos & ipsum Dominus posuit: deficiensque a Deo viuentem per peccatum mortificatur, quo hominum natura in seipsam armata est, & affectionibus corrumpitur. quam naturam pacificare volens ipsius opifex, proprium, ut dictum est, in terram adueniens gladium dedit, qui euangelicæ secundum ipsum prædicationis sermo est, omnem impietatem atque iniquitatem cadens semper ac demetens, commendans vero orthodoxam in ipsum confessionem in iis, qui eam firme custodiunt. Quando igitur, dilecti fratres, nobis, qui per gratiam ipsius sacerdotes sumus, euangelicæ prædicationis sermo creditus est, ut cum sapientia & fide tueamur eius domum, catholicam nempe ecclesiam, integram atque immaculatam ab iis, qui eam violare ac lædere properant; necessario vobis notum facimus, iubente maxime hoc nos facere ipso Domino per prophetam dicentem: *Consolamini, consolamini* Isa. 40. *populum meum, dicit Dominus: sacerdotes loquimini ad cor Ierusalem: consolamini eam, quia impleta est humiliatio eius.* Nam is qui pastor eius vocatus est, mutatus est in lupum, eamque humiliare conatus est, per ea quæ impie in nos dogmatizauit: quippe qui cælestem panem, qui per carnem in terram ad nos aduenit, non apposuit vobis sincere ac sine inuolutione in cibum & potum ad vitam æternam, per apostolicam paternamque doctrinam: sed apposuit cibum Ægyptiacum, siue doctrinam hæreticam, quæ inquinare solet non confirmare cor hominis. Studuit enim non solum initio propositionis suæ turbidam inquinamentorum suorum confusionem per literas suas huic apostolicæ sedî imponere, sicuti ab eo missis apocri-

Concil. Tom. 15.

F ij

fariis, Pithano episcopo & Ignatio diacono tum coram ostendimus, sed nunc quoque doctrinæ suæ cœnum augere: tametsi, præfatorum virorum hortatu, absurditates eius & errores notos ei fecissemus, ac præterea misissemus exemplum formulæ doctrinæ veræ ac salutaris, quæ nobis tradita est a sanctis apostolis & probatissimis ecclesiæ patribus: ut id firmiter intuens, propriam sententiam corrigeret. Ille vero etiam post cognitionem veritatis non audiuit dicentem: *Initium superbiæ hominis apostatare a Deo. Qui tenuerit eam, adimplebitur maledictis, & subuertet eum in finem.* Propterea exhonorauit Dominus conuentus malorum, & destruxit eos usque in finem. Quis igitur eum, qui in animam suam peccat, iustificabit? quis glorificabit eum, qui vitam suam exhonorat? Ausus est enim per summum diuinorum iudiciorum contemptum, missum a nobis exemplum adulterare ac deprauare, ex eoque demere orthodoxam patrum confessionem, & damnationem quam facimus, id est, quam catholica ecclesia iure facit detestandorum hæreticorum: ac venenum propriæ nouitatis iniicere. Quoniam igitur scriptum est, fratres: *Quis miserebitur incantatori & serpente percusso, & omnibus qui appropriant bestiis? sic & qui comitatur cum viro iniquo, & obuolutus est in peccatis eius. In labiis suis indulcat inimicus, & in corde suo insidiatur, ut subuertat te in foveam. In oculis suis lacrymatur: & si inuenerit tempus, non satiabitur sanguine: & quasi adiuuans suffodiet plantas tuas. Caput suum mouebit & plaudet manu, & multa susurrans commutabit vultum suum.* Et rursus dicit: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit superbo, induet superbiam.* Satagite vos omnes, dilecti, ut filii obedientiæ, & diuinum præceptum adimplentes, quod dicit: *Salua animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas.* & *Recedite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio eorum.* Deponite omnem ad hominem huiusmodi, id est, ad pessimam eius hæresim, coniunctionem & amorem: mors enim est, separans a Deo eos qui doctrinæ talis viri obsequuntur. Atque idcirco eum canonice ab omni deposuimus sacerdotali dignitate & ministerio, quoad propria corrigens, ad apostolicam catholicæ ecclesiæ redeat

Ecclef. 10.

Ecclef. 12.

Ecclef. 13.

Genes. 19.

Isa. 52.

fidem; in qua ipsi per Dei gratiam generati & educati, stante semper radicati & fundati: & sicut accepistis a nobis, siue a sanctis apostolis, & prophetis, & doctoribus, & vniuersalibus quinque Synodis, quomodo oporteat vos credere, & ambulare, & placere Deo, sicut & credidistis, & ambulastis vsque adhuc, vt abundetis magis in orthodoxa fide, confitentes iuxta ipsorum sanctorum piam traditionem, Dominum nostrum Iesum Christum, Deum verum, & verum hominem eundem, in nullo a diuina sua deficientē natura, & in nullo ab humana natura deficientem, absque solo peccato: sed per omnia perfectum ipsum in vtraque naturarum, ex quibus & in quibus constat, tum in diuina, tum in humana, in increata, & in creata sicut natura, ita voluntate & operatione, ad demonstrationem perfectæ eius cum Deo & Patre, & cum matre ac virgine connaturalitatis & consubstantialitatis. Habentes igitur talem spem, multa libertate vtimur, & non sicut aduersarii super inductis lasciuiunt formulis & expositionibus, sed paternis & synodalibus catholicæ ecclesiæ muniti præconiis, hæc vbique & omnibus per ea quæ nuper a nobis synodaliter gesta sunt, intimauiimus, quæ & vobiscum nunc loquimur, nihil inductitium aut peregrinum ac nouum prædicantes, sed quæ audiuiistis, & didicistis, & accepistis, & in vobis iugiter radicata sunt. Quæ enim est spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriationis? nonne vos coram ipso Domino nostro Iesu Christo, & nunc, & in ipsius aduentu? quandoquidem multa mihi ad vos libertas est, multa gloriatio pro vobis. repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra, quam propter dictum hominem sustinuimus. *Quis* ^{2. Cor. 11.} *enim infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* inquit diuinus Apostolus. Quocirca & vos, carissimi, huiusmodi nostram pro vobis scientes sollicitudinem, & edocti diligenter a diuinitus inspiratis scripturis, *quod nulla est participatio iustitiæ cum iniquitate, nec societas luci* ^{2. Cor. 6.} *ad tenebras, nec conuentio Christi ad Belial, nec pars fidei cum infidelibus*, neque consensus orthodoxorum cum hæreticis; omni custodia custodire cor vestrum, nullam participationem habentes, nec societatem, nec consensionem, nec connexionem cum huiusmodi homine. ac ne vlla ratione

*Joan. 10.
Psal. 22.*

assentiamini eius doctrinæ; sed assidue permanentes in sanctissima nostra fide, seruite Deo in conscientia pura. Synaxis autem ministerium perficiant vobis qui ibi sunt presbyteri & diaconi, qui diligenter & acceptabiliter rectam catholicæ ecclesiæ nobiscum doctrinam suscipiunt, quæ nuper ad vos a nobis scripta est: & abiicientes omnem hæresim ac nouitatem, quæ ab apostolica prædicatione condemnatur: quousque, ut dictum est, ille sua corrigat, aut alius pro illo canonice eligatur pastor bonus ac verus, quique animam pro ouibus ponat, imitatione principis pastorum Christi, in loco pascuæ vos collocans, & super aquam refectionis educans. Ipse autem, qui nos vobiscum confirmat in diuinissima eius confessione, quique vnxit nos ac signauit, deditque arrhabonem Spiritus in cordibus nostris, sanctificet vos perfecte, spiritumque vestrum & animam & corpus integra atque irreprehensibilia custodiat, recepturos in sæcula sæculorum quæ repromisit diligentibus eum. Amen.

EPISTOLA XIV.
MARTINI PAPÆ I.
AD THEODORVM.

Commemorat ea quæ Romæ passus est, cum inde a Calliopa exarcho vi abreptus, Constantinopolim missus est.

Martinus Theodoro sincera affectione dilecto fratri.

QVONIAM agnoui ut potui ea quæ in scriptis a vobis significata sunt, in paucis verbis exequar. Cum exirem ab ecclesia quæ vocatur Constantiniana, in qua exercitus me cum armis constrinxerat, in præsentia exarchi ac Theodori cubicularii, seu cleri, clara voce dixerunt: Anathema habeat quisquis dixerit vel crediderit, quia Martinus vsque ad vnum apicem fidem mutauit, aut mutaturus est: & anathema habeant qui in orthodoxa fide sua vsque ad mortem non permanserint. His auditis, Calliopas coepit rationem reddere, aliam fidem præter quam nos tenemus, non esse, neque aliter se credere. Sed hoc propter eos qui audiebant, non propter fidem dicebat. Et scire te volo, dilectissime frater, de fide quam si-

gnificasti, nec non & falsis calumniis, quas aduersus veritatem proponunt: quia opitulantibus nobis orationibus vestris, ac omnium fidelium Christianorum, qui vobiscum sunt, & viuens & moriens salutis nostræ fidem defendam, & quemadmodum beatus Paulus apostolus docet, *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum*. De falsis autem accusationibus, quas nouiter hæretici faciunt, abiicientes veritatem Christi Dei, qualem omnino poterunt hominibus veritatem loqui, qui Dei veritati resistunt? Tibi igitur reddo rationem, dilectissime frater, per eum qui iudicaturus est mundum istum per ignem, qui & reddet unicuique secundum opus suum. Ego aliquando ad Saracenos nec literas misi, nec quem dicunt totum qualiter credere debeant, aut pecunias vnquam transmissi, exceptis dumtaxat quibusdam illuc venientibus seruis Dei causa eleemosynæ, quibus & modicum quid præbuimus minime ad Saracenos transmissum. Porro de domina nostra gloriosa semper Virgine Maria, quæ Deum & Dominum nostrum Iesum Christum peperit, quam omnes sancti & catholici patres Dei genitricem appellant, vtpote quæ Deum hominem genuit, falsum contra me, imo contra suas ipsorum animas iniqui viri testificati sunt. Nam quisquis beatam super omnem creaturam & naturam humanam, absque eo qui genitus est ex ea, venerabilem semperque Virginem, matrem videlicet Domini nostri non honorat atque adorat, anathema sit & in præsentī sæculo, & in futuro. Sed homines occasiones quærentes, scandala obiciunt ad scandalizandos multos.

SVBSCRIPTIO. Deus te incolumem custodiat, amantissime fili.

EPISTOLA XV.

MARTINI PAPÆ I.

AD THEODORVM.

Eiusdem argumenti cum præcedente.

Martinus Theodoro.

NOSCERE voluit cara vestra dilectio, qualiter de sede sancti Petri apostoli, sicut vnus passer solitarius ab ædificio, raptus fuerim. Et miror quia super hoc me in-

Mat. 24. 21.

quirere voluisti, cum prædixerit Dominus noster de nequam temporibus istis discipulis suis: *Quia in diebus illis erit tribulatio, qualis non fuit ab origine mundi usque nunc. & nisi quia abbreviati sunt dies illi, non posset sustinere omnis caro. Sed qui perseverauerit usque in finem, hic saluus erit.* Hoc in paucis de antichristo dicitur. Nam & sanctus Paulus secundum datam sibi gratiam spiritus prænuntiavit dies istos Timo-

2. Tim. 4. 1.

& 2. cap. 3.

¶ 4.

theo discipulo suo, dicens: *In nouissimis diebus discedent homines a fide, & a veritate auditum auertent, seipsos amantes, auari, & cetera.* Et crede mihi, desiderantissime fili mi, non videndum tempus aliud, nisi manifeste hoc, in quo sint initia dolorum, quemadmodum Dominus prædixit aduentum antichristi. Et mihi breuiter dicere necessarium visum est, antequam in toto mundo præualeat iudicium, & finem cursus tradam, hoc mihi expedire arbitratum; quo aliis mala mihi præparantibus, exultem potius quam fleam. Igitur, ut scias qualiter sublatus & ductus sim a Romana vrbe, nil falsum audies accidentium. Omnia præsciui per totum tempus, quæ meditabantur; & sumpto meipso cum omni clero meo, priuatim mansi in ecclesia saluatoris nostri Iesu Christi, quæ cognominatur Constantiniana, quæ prima in toto mundo constructa & stabilita est a beatæ memoriæ Constantino imperatore, & est iuxta episcopium. Illic enim omnes nos seorsum morabamur a die sabbati, quando Calliopas cum Rauennati exercitu, & Theodoro cubiculario, introiuit ciuitatem. Misi ergo in obuiam eius quosdam ex clero. quibus susceptis in palatio, æstimauit & me cum eis esse. Cum autem quæsisset, & non inuenisset, dixit primis cleri: *Quia nos eum volumus adorare. sed cras, quod est dominica dies, obuui ei erimus, & salutabimus eum, quia hodie non suffecimus.* Porro, dominico die datis Missis in prædicta sancta Dei ecclesia, suspicatus ille turbam multam colligi propter diem, nuntiavit hoc: *Quia multum fatigati sumus ex itinere, & non possumus occurrere hodie, sed cras omnimodis occuremus, & adorabimus sanctitatem vestram.* Ego vero ipse grauiter infirmus eram ab Octobrio mense usque ad prædictum tempus, id est usque ad sextodecimo Kalendas Iulias. Ergo feria secunda diluculo mit-

mittit chartularium suum, & quosdam ex obsequio suo, dicens: Quia arma præparasti, & armatos habes intus, & multitudinem lapidum collegisti ad repugnandum: & hoc necessarium non est, nec aliquid tale fieri permittas. Cumque præsens audissem hæc, necessarium magis non habui, qualiter hos certos redderem, quam mittere illos gyraturos per totum episcopium, & si arma vel lapidem vidissent, ipsi testimonium perhiberent. Cum autem issent, & nihil inuenissent, subintuli eis per verba, quod nunquam aliquando aliter, sed semper per complexionem & fallacem accusationem incederent aduersus nos, cum & in aduentu infamis Olympii vani cuiusdam hominis cum armis me hunc potuisse repellere faterentur. Ego itaque ante altare ecclesiæ lectulum meum habebam in quo iacebam. & nondum transacta media hora, ecce exercitus cum eis veniens in ecclesiam, obumbrati omnes tenentes lanceas & spathas suas, quin & arcus suos paratos vna cum scutis suis. & facta sunt illic quæ nec dicenda sunt. Quemadmodum namque in hiemali tempore vento valide flante folia ex arboribus concussa cadunt, ita percutiebantur armis candelæ sanctæ ecclesiæ, & retinæ excutiebantur in pauimentum. & audiebatur sonitus qui in eadem fiebat ecclesia, veluti tonitrus quidam horribilis tam ex pressura armorum, quam ex multitudine candelarum ab eis fractarum. Quibus confestim introeuntibus, iussio a Calliopa porrecta est presbyteris & diaconibus, in qua humilitatis meæ abiectio continebatur, quod irregulariter & sine lege episcopatum subripuissem, & non essem in apostolica sede dignus institui, sed omnimodis in hanc regiam urbem transmitti, subrogato in loco meo episcopo. quod necdum aliquando factum est, & spero quod nec aliquando fieri habet: quia in absentia pontificis archidiaconus & archipresbyter & primicerius locum præsentant pontificis. Dum ergo hæc mouentur, quæ de fide gesta fuerant, iam manifestaui vobis. Quod autem præparati non fuimus ad repugnandum, melius iudicaui decies mori, quam vnus cuiuscumque sanguinem in terram fundi. Quod quidem & sine periculo hoc gestum est, non paucis, quæ non

placuerunt Deo malis effectis. Eadem itaque hora dedi meipsum ad exhibendum imperatori, & non resistendum. Porro acclamantibus mihi, vt veritatem dicam, quibusdam ex clero ne facerem hoc, nulli eorum accommodaui aurem, ne subito fierent homicidia. Sed dixi illis: Sinite mecum venire ex clero, qui necessarii mihi sunt, episcopos videlicet, presbyteros, & diaconos, & absolute qui mihi videntur. Respondit Calliopas: Quotquot voluerint venire, cum bono veniant. Nos cuiquam necessitatem non facimus. Respondi ego: Clerus in potestate mea est. Exclamantes autem quidam ex sacerdotibus, dicebant: Cum ipso viuimus, & cum ipso morimur. Post hæc cœpit dicere per se Calliopas, & qui cum ipso erant: Veni nobiscum ad palatium. Nec hoc facere recusauimus, sed exiui cum eis in palatium eadem secunda feria. Et tertia feria venit ad me omnis clerus, & multi erant qui se parauerant ad nauigandum mecum; qui etiam res suas iam immiserant in ea quæ vocabantur leuamenta. & alii quoque nonnulli præparabantur clerici & laici, qui festinabant peruenire ad nos. Eadem ergo nocte, quæ illucescit in feria quarta, quæ erat tertiodecimo Kalendas Iulias, circa horam quasi sextam noctis, tulerunt me de palatio, retrusis omnibus qui mecum in palatio erant, vsque ad res diuersas, quæ mihi in via & hic erant necessaria: & non nisi cum sex puerulis & vno cauculo eduxerunt nos ex vrbe. & cum immisissent nos in vnum eorum quæ dicebantur leuamenta, circa horam plus minus quartam diei ad portum peruenimus. In ea sane hora, qua egressi sumus ab vrbe Roma, statim vt erant obseratæ portæ, iterum eas obserauerunt, & sic remanserunt, ne exirent a ciuitate aliqui, & venirent ad nos in portu, donec illinc nauigassemus. Vnde necessitas nobis effecta est, vt omnium eorum res, qui in leuamenta missi fuerant, in prædicto portu dimitteremus, & mox eadem die moueremur. Et peruenimus Kalendas Iulias Mesenam, in qua erat nauis, id est carcer meus. Non autem Mesenæ tantum, sed & in Calabria: & non tantum in Calabria, quæ subdita est magnæ vrbi Romanorum, sed & in plurimis insularum, in quibus nos vel tribus mensibus peccata impedierunt,

nullam compassionem adeptus sum: excepto dumtaxat in insula Naxia, quoniam ibi annum fecimus, merui lauari duobus vel tribus balneis, & apud urbem mansi in hospitio quodam. Et ecce quadraginta & septem dies sunt hodie, ex quo non merui calida nec frigida aqua rigare me, & effluxi & refrigui totus, quoniam ventris fluor & in naui & in terra vsque ad præsentem horam requiem mihi omnino non dedit. & in ipsa quoque necessitatis meæ hora cum gustaturus sum, totus conquassatus corpore, ea quæ necessaria sunt percipere ad confortandam naturam non habeo, quia quod habeo tædet me sumere, cum id habeam penitus in fastidium. Sed credo in virtutem Dei qui omnia conspicit, quia cum de præsentī vita subductus fuero, exquirentur de his omnibus hi qui me persequuntur, vt saltem sic ad pœnitentiam ducti, ab iniquitate sua conuertantur.

SVBSCRIPTIO. Incolumem te custodiat Deus, fili dulcissime.

COMMEMORATIO EORVM, QVÆ
*scilicet, & sine Dei respectu acta sunt a veritatis aduersariis
in sanctum & apostolicum nouum reuera confessorem & mar-
tyrem Martinum papam Romæ, per epistolam cuiusdam
Christianissimi, directam his qui sunt in occidente, seu Romæ,
& in Africa, orthodoxis patribus.*

AFFLICTIONVM mœrores & lacrymas, commu-
nemque sine cessatione ac mœstissimam vocem, quæ
in dolore ex imo cordis prolata est, puto autem quæ
& profertur Deo ab his qui sunt Romæ, adhuc autem
& in omni loco dominationis eius degentibus sanctis fa-
mulis Dei & fidelibus populis, ex quo facta est perse-
cutio aduersus sanctissimum patrem nostrum, Deo bea-
tissimum & fidelem sacerdotum principem & apostoli-
cum vniuersalem papam, ac per hoc aduersus catholi-
cam ecclesiam: puto autem hætenus hunc eundem mœ-
rorem retineri in vobis, & multam sollicitudinem habe-
re vos, scire quomodo peractum est contra eum, quan-
do exulatus est & persecutione pulsus a Roma naui-
gio vsque Byzantium. Hæc in mente habens ego humi-

Concil. Tom. 15.

G ij

lis & peccator famulus vester, quædam quidem exterius solitudine multa addiscens; plurimorum autem proprie contemplator factus, indignus ministerii beatissimi & preciosi sacerdotis nostri, iudicavi literis reminisci, & nota facere, claraque constituere vobis benedictis, atque per vos omnibus fidelibus & zelum habentibus culturæ diuinæ: quatenus cognoscentes cum cordis mœstitudine mecum illum propheticum sermonem proferatis: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis* *Jer. 9. 1.*
fontem lacrymarum, & plorabo die & nocte contritiones catholicæ ecclesiæ & omnium Christianorum, imo perditionem, propter ea quæ acta sunt in beatum & Deo plenum ducem veritatis & prædicatorem? Verumtamen Deo gloria, qui dedit ei virtutem & sufferentiam stabilem in tentationibus quæ superuenerunt ei a contrariis virtutibus & viris, in expugnando & viriliter dimicando pro cultu Dei, inrefragabiliter & spe firma usque ad mortem ponens animam suam, utpote imitator eius qui eum constituit athletam Dominus eius ad informationem pro veritate dimicare. Ea equidem, quæ inibi Romæ gesta sunt in beatum & adamantinum spirituales patrem, sacerdotumque principem domnum Martinum, & vos scitis, qualibus periculis luctatus est, videns gladios vibratos & acutos confertos adinuicem, tentos a pluribus militibus paratum habentibus inficere enses, & commutare a vita beatum, in circuitu altaris astantibus, & in toto templo catholicæ ecclesiæ Romæ, quæ cognominatur Constantiniana, in qua sacerdotio fungens recubabat in foribus & grabato ipse beatus æger: & quomodo contritus animis, & artibus constrictus, impulsus & expulsus, raptus & extractus ex apostolico throno, in quo Deus eum constituit loco, inspectorem sui apostolum, & prædicatorem orthodoxum veritatis. Sed vere iste non fecit preciosiorem animam suam se, sed posuit eam usque ad mortem, imitans, sicut dictum est, Dominum suum dicentem: *Bonus pastor animam* *Ioan. 10. 11.*
suam ponit pro ouibus suis, quo saluaret ubique errantem & perditam plebem ab insurgentibus nostris temporibus hæreticis. Traditus igitur Romæ de catholica ecclesia sancti Ioannis, a potentibus huius sæculi his

qui hoc erant ministerio digni ministri, atque custodibus, depositus est ad portum, & coniectus est in lembo, & nauigantibus, sicut scitis, euntibusque iuxta Auidum, in insulam quæ vocatur Naxos, non concesserunt beato illi apostolico viro custodes penitus contingere terram, dolentibus prorsus pedibus eius, cum ipsi per loca conferrent, & omnino quiescerent. Hi autem qui per loca erant sacerdotes, & ceteri fideles regionis ipsius, dirigebant munera beato illi causa vtilitatis eius, non parua multotiens quantitatis. quas quidem directas species & quantitates custodes bestiales continuo coram eo diripiebant, impropertiosa & amara plurima congerentes in eum. Eos autem, qui munuscula detulissent, iniuriis & verberibus afficientes dimittebant, dicentes ad eos: Quoniam quicumque diligitis istum, inimici estis reipublicæ. Numquidnam hoc solum ei non valebat inferre dolorem incomparabilem super infirmitatem quæ eum ægre deprimebat? Exinde igitur præmittentes ab Auido quemdam, custodes qui retinebant eum, nuntiauerunt in Byzantio aduentum & captionem eius, proferentes aduersus eum plurima mala, hæreticum & rebellem, Deique aduersarium proclamantes, & subuertentem vniuersam terram Romanorum. Cumque tandem peruenisset Byzantium beatus ille septimo decimo die Septembris mensis, in portum iuxta Euphemiam prope Arcadianon, reliquerunt eum a mane ministri usque in horam decimam recubantem in grabato navis, eratque sicut scriptum est, spectaculum omnibus angelis & hominibus. Accedebant enim varii homines, quos propter ferales mores lupaces dixerim, & subrogati, ut conicio, talia contra sanctum papam agebant, qualia Christianis dici non oportet. Morantibus nobis in litore, tota die eram incedens dolore plenus & amaritudine, eo quod viderem talem sanctum virum ita deiectum: non solum autem, sed & talia eloquia a quibusdam ethnicis prolata contra eum, nihil aliud quærebam, nisi ut auferretur anima mea a me. Dehinc circa solis occasum venit quidam scriba nomine Sagoleua cum multis excubitoribus: & auferentes de lembo posuerunt in gestatorio, duxeruntque in custodiam excubitorii, quæ cognominatur Pran-

dearia. & fecit eum in clausum sub multa custodia, præcipiens excubiti custodibus, ut nullus penitus sciret ciuitatis, quia est in eodem excubitu. Fecit ergo sanctus idem apostolicus clausus, & sine participatione penitus sermonis alicuius, nonaginta tres dies. In ipsa vero nonagesima tertia die, quæ est dies parasceue, mane tulerunt eum de custodia, constituendum in cella sacellarii, iubentes pridie conuenire omnem senatum; quod & factum est. Iusserunt autem eum introducendum, & introduxerunt in portatoria sella: erat enim penitus ager, præcipue autem illis diebus præ nauigatione & afflictione custodiæ per tot dies effectæ. Intendens autem in eum primus, qui præsidebat sacellarius cum reliquis principibus a longe, iussit eum surgere a ferculo, & stare. Aientibus quibusdam ministrorum non valere eum stare, turbatus præ multa ira sacellarius exclamauit, cum eo autem & quidam de custodia, surgere eum & a stare censuræ subnixum hinc inde. quod & factum est. Sacellarius autem inquit ad eum: Dic miser, quid tibi mali intulit imperator? Tulit a te aliquid? oppressit te vi? Ille autem tacebat. Tunc ait ad eum sacellarius imperatiua voce: Non respondes? ecce nunc ingredientur accusatores tui. Et continuo cum sermone introducti sunt plurimi accusatorum contra eum. Omnes autem erant mendacii filii, & discipuli eorum, qui Dominum nostrum Iesum Christum necauerunt. Contradicebant vero sancto viro, quemadmodum præmoniti fuerant. Erant enim voces eorum præmeditata & præparata. In quibus quidam eorum paulo ante interrogati ut testimonium perhiberent, tentabant dicere veritatem, sicut mos est. & continuo turbati qui prætendebant certamen hoc, incipiebant validis minis increpare eos, donec suaderent eis proferre quæ erant conuenientia in mortem beati & iusti viri. Contemplatus sanctus papa introeuntes testificari, subridens dixit: Isti sunt testes? sic habet ordo? Erant enim primi ingredientes nomine quidem milites, lupaces autem & bestiales sententia: & quidam eorum qui erant Olympii, cum quibus erat & Andreas, qui fuerat eius notarius. Erant autem inter accusatores infelices Imeritus & Therinus, & reliqui numero quasi viginti, primo-

res milites & reliqui accusantes. Iurabant autem ad sancta euangelia, & sic testificabantur. Primicerius sane omnium accusantium erat Dorotheus patricius Ciliciæ, qui iurans dixit, quoniam quinquaginta capita si haberet, non oporteret eum vivere, eo quod solus subuertit & perdidit vniuersum occidentem, & deleuit: & re vera vnius consilii fuit cum Olympio, & inimicus homicida imperatoris & Romanæ vrbauitatis. Videns ergo iustus vir introeuntes eos & iurantes sine parcitate testificatores, compassus perditioni animarum eorum, ait ad eos qui præsidebant principes: Obsecro vos per Deum, nolite præparare eos iurare, sed absque sacramento dicant quæcumque volunt, vosque facite quæcumque vultis. Et quid opus est etiam iurando perdere illos animas suas? Ingresso equidem vno testium, & dicente, quoniam coniurationes fecit cum Olympio, & milites præparauit vt iurarent: interrogatus Deo preciosus vir, si hæc ita se haberent, respondit: Si vultis audire veritatem, dico vobis sequentia. & cœpit dicere. Quando factus est typus, & directus Romam ab imperatore. Et hoc tantum dicente beato illo, aliud quid non concessum est loqui. Sed continuo ante omnes incipiens cum clamore Troilus, inquit: Non inferas nobis hic de fide, de duello nunc scrutaris, quoniã & Romani, & nos Christiani sumus & orthodoxi. Et respondit idem vir iustus. Vtinam: Verumtamen intuenietis me in illa die tremendi examinis testem etiam in hoc. Denuo inter accusantes testes, ait ad eum præfectus Troilus. Qualis homo es tu, quoniam cernens & audiens talia contra imperatorem nitentem effodiendum Olympium, non prohibuisti eum, sed e contra consensisti ei? Ad quem continuo dixit ipse beatus apostolicus papa: Dic domine Troile, quando sicut scitis etiam vos, & nos audiuius, Georgius a magistratibus, qui erat ex monachis, ingressus est huc in urbem a castris, & talia verba locutus est, fecitque res tales; vbi eras tu, & qui sunt tecum, quoniam non restitistis ei, sed e contra conuentionatus est vobis, & quos voluit palatii exulauit & prohibuit? Iterumque sub Valentino, cum præcepto imperatoris indutus est purpura, & consedit ei, quo ieratis vos? non eratis hic? cur ergo non prohibuistis eum di-

centes, Non attingas res non opportunas tibi? nonne omnes econtra conuenistis ei? Quomodo habebam ego tali viro aduersus stare, habenti præcipue brachium vniuersæ militiæ Italicæ? an potius ego illum feci exarchum? Verumtamen denuo obsecro vos per Dominum, quodcumque vultis & definitis fieri in me, citius explete. Nouit enim Deus, maxima mihi dona tribuistis, quacumque me clade iugulaueritis. Percontatus autem quemdam de ministrantibus, Sagolebam videlicet, saccellarius, si sunt foris alii aliqui, qui debeant testificari? respondit scriba: Sunt, domine, plurimi alii. Deficientes autem hi qui præsidebant, sancto & venerabili astante viro in conspectu eorum, & potissimum Spiritu eum sancto firmante, dixerunt sufficere testes. Erat quippe interpretor eorum, quæ a sancto dicebantur, verborum Innocentius consul filius Thomæ, qui erat ab Africa. & cum interpretaretur ea quæ a beato viro dicebantur, non ferebat, videns ignita iacula sancti Spiritus a Deo honorabili viro contra eos prolata. ait ad Innocentium cum furore, Cur nobis interpretaris quæ dicit? noli dicere quæ dicit. Surgens ergo continuo saccellarius cum plurimis qui confederant ei, ingressus est nuntiare imperatori quæque ipse voluit. Eduxerunt autem sanctum apostolicum virum de cella iudicii, magis autem ex aula Caiphæ, in gestatorio sedili sedentem, & statuerunt eum in medio atrii quod erat ante cellam saccellarii, & imperialis stabuli, quo consueuerat omnis populus conuenire & expectare saccellarii ingressum. Circumdederunt eum excubitores, eratque omnibus spectaculum formidabile turbis. Post paululum ergo, iusserunt inferri eum in solarium expositionis, vt esset ibi, quatenus prospiceret imperator per cancellos triclinii sui ea quæ futura erant fieri. Erat itaque multitudo populorum vsque ad hippodromium conferta conuenientium illic. Statuerunt ergo reuerentissimum virum in medio solarii dispositionis, præsentia totius senatus subnixum hinc & inde. Facta est ergo constipatio subito non minima, & exiens ab imperatore saccellarius apertis ianuis triclinii in solarium, diuidere vniuersum populum iussit. Veniensque ad sanctum ac venerabilem virum Martinum apostolicum, dixit ad eum,

eum: Vide quomodo Deus te duxit, & tradidit in manus nostras. Tu nitebaris contra imperatorem, quid tibi spei erat? Ecce dereliquisti Deum, & dereliquit te Deus. Et continuo exclamans facellarius quemdam astantium excubitorum tonsorem, præcepit sine mora auferre psachnion summi & apostolici atque præcipui pastoris omnium Christianorū, qui orthodoxam sanctorum patrum & Synodorum confessionem, hoc est fidem confirmavit, & noui erroris exortos auctores, novos videlicet hæreticos, cum impiis dogmatibus eorum canonice & synodice anathematizauit. Cum ergo incidisset psachnion beati viri excubitor, & corrigiam compagiorum eius, statim tradidit eum facellarius præfecto vrbs, dicens: Tolle eum, domine præfecte, & continuo membratim incide illum. Cum his autem omnibus iussit astantibus anathematizare eum. quod & fecerunt. Non responderunt autem huiusmodi voci viginti virorum animæ. Sed omnes quique hoc ipsum videbant, & sciebant quia est Deus in cælo conspекtor eorum quæ fiebant, demisso vultu cum multa mœstitudine recedebant tribulati. Suscipientes ergo eum carnifices, exuerunt exterius eius pallium sacerdotalis stolæ, & scindentes alas tunicæ, quæ erat interius a summo vsque deorsum, circumposuerunt ferrea vincula in sanctam eius ceruicem, & per omne corpus eius trahētes eum vi, non concesserunt penitus ei alicubi residere, & animam refocillare, sed a palatio duxerunt eum publicantes & dehonestantes per medium ciuitatis ad prætorium, & gladius coram eo. Erat autem dolor magnus beato illi, & inenarrabilis. oppido enim erat fessus & infirmus, præ tantis incommodis futurus relinquere animam a pressura passionum & tenuitate corporis. Attamen gaudens spe confortabatur in Domino: & quo magis cum afflictione & vi trahebatur, eo sereno obtutu ductus cum multa constantia animæ iustus, cum vno solummodo indumento a summo discisso in duas partes, & sine cinctorio sequebatur, adeo vt interiora eius quodammodo nuda panderentur, & multifaria quidem continuo populorum conspectis quæ fiebant, gemebant, vt veritatem dicam, & lacrymabantur. Pauci autem ministrorum satanæ gaudebant, & subfannabant, & capita transeuntes, sicut scri-

Concil. Tom. 15.

H

ptum est, mouebant, dicentes: Vbi est Deus eius, & vbi fides eius, & vbi doctrina ipsius? Qui cum venisset in prætorium dehonestatus, & a carnificibus vinculatus cum gladiis, coniecerunt eum in vnum carcerum cum homicidiis, & post vnam quasi horam tulerunt eum inde, & transposuerunt in eam quæ dicitur Diomedis custodia, in prætorio præfecti. Tanta autem instantia & vi trahebant eum vinculis nexum, vt dilaniarentur crura & poplites eius, & sanguis efflueret per ascensum scalæ eiusdem custodiæ. Sunt enim scopulosi & asperi valde, ac penitus in altum porrecti gradus. Erat autem ipse beatus præsentis vitæ proximus iam carere, suppliciis anima deficiente etiam ante gladium, cum iam non valeret conscendere cum se trahentibus. Introducentes ergo eum quomodocumque in custodiam, decidenter sapiens & surgentem, posuerunt in scamno indutum calibis & catenis. Tunc enim, quando traditus est a Caipha Pilato vt crucifigeretur, hoc est a præfecto, continuo cum exuerent eum carnifices, grauiter algoribus vexabatur. erat enim intolerabilis hiems. Imposuerunt ei grauissima ferri pondera, & nullus aderat ei hominum eius proprius, excepto vno solummodo clerico adolescente: quique commanens ei in custodia, & superstans lamentabatur magistrum, sicuti Petrus. Erat etiam conuinctus magister custodiæ eidem beato, quoniam sic erat mos, vt futurus pati per gladium conuinciretur magistro custodiæ. Erant ergo duæ mulieres, genitrix & nata, prænominatæ custodiæ clauas tenentes, quæque aspicientes importabilem dolorem sancti illius, qui inter tot pœnarum genera, quæ aderant, algore quatiebatur durissimo: motæ compassionibus quærebant aliquam exhibere misericordiam cum eo, & contegere eum, sed non audebant propter conuinctum & custodientem carnificem. Putabant enim actutum venturam censuram vt trucidaretur. Post quasdam vero horas, cum vocassent quidam ab imo ex ordine militari magistrum vigiliæ carnificum, descendente eo, vna mulierum ergastulorum illorum pietatis viscere ducta, accedens amplectensque bellatorem Christi & apostolicum patrem, portansque reclinauit eum in proprio toro suo, contegens vtiliter & inuoluens. Mansit autem vsque ad vesperum

sine voce. Vespere autem facto, misit ad eum Gregorius præfectus eunuchus excubulariis maiorem domus suæ, cum paruis cibariis, qui refecit eum, dicens: Ne deficias in tribulationibus, confidimus in Deum, non morieris. In quo magis aggrauatus ille beatus ingemuit. Abstulerunt autem ferrea vincula continuo ab eo. Sequenti vero die abiens imperator in patriarchium visendi gratia Paulum patriarcham, (proximus enim erat morti) narrauit ei quæ consummata sunt in sanctissimum virum. Ingemiscens vero Paulus, & conuersus ad parietem dixit: Hei mihi! & hoc ad abundantiā iudiciorum meorum actum est. Percontatus autem ab imperatore quamobrem hoc dixerit, respondit: Numquidnam, domine, non est miserabile talia pati pontifices? Tunc attentius adiurauit imperatorem sufficere ei in his quæ passus est, nihilque amplius sustinere. Vnde audiens beatus ille ac apostolicus vir, quod non suscepit quod expectabat, non gratum habuit tale promissum, sed penitus mœstus effectus est. Festinabat enim explere bonum certamen, & abire ad eum quem desiderabat. Interea defuncto Paulo, & Pyrrho residere nitente, atque quibusdam ecclesiæ contradicentibus & prohibentibus, libellumque eius publicantibus in palatio, asserentibusque quoniam & a beatissimo Paulo anathematizatus est: Pyrrhus reprobatus est sacerdotio propter libellum quem fecerat Romæ. & multa commotione facta, post dies octo defuncto Paulo, dirigitur ab imperatore ad Diomedis custodiam ad magnanimum papam Demosthenes rescriptor & collaborator sacellarii, & libellifus cum eo. Intrantes vero dixerunt ad eum: Dominator noster eximius imperator misit nos ad te, dicens: Ecce in quanta gloria prius consistens, in qualem ordinem te ipsum duxisti. nemo tibi fecit hoc, sed tu ipse tibimetipsi. Ipse autem nihil aliud respondit, nisi solum hoc: Gloria & gratiarum actio per omnia seculi immortalis regi. Dicit ad eum Demosthenes rescriptor: Significauit tibi dominator, dic nobis ea quæ de Pyrrho expatriarcha hic & Romæ subsequenter gesta sunt. Pro qua causa abiit Romam? iussus, an proprio proposito? Respondens sanctus papa dixit: Proprio proposito. Ait Demosthenes: Libellum illum quomodo fecit?

Concil. Tom. 15.

H ij

compellente aliquo? Respondit sanctus vir: Nemine, sed propria propositione. Demosthenes inquit: Veniente Pyrrho Romam, quomodo suscepit eum sanctus vir Theodorus decessor tuus papa? uti episcopum? Respondit æquanimis papa, & quomodo non? qui prius quam veniret Pyrrhus Romam, manifeste scripsit huc, hoc est beatus Theodorus ad Paulum, utpote ad eum, qui indecens fecerit, & alterius thronum inuasit. Deinde autem sponte sua eodem Pyrrho veniente Romam ad vestigia beati Petri, quomodo non haberet eum suscipere præcessor meus, & honorare, utpote episcopum? Respondens Demosthenes dixit: Vere veritas sic se habet. Vnde autem sumebat ea quæ ad usum sui corporis erant necessaria? Dicit beatus: Manifeste de patriarchio Romano. Ait concertator: Qualis panis dabatur ei? Respondit honorabilis vir: Vos, domini mei, nescitis ecclesiam Romanam? Dico enim vobis, quia quisquis venit illuc miserabilis homo hospitari, omnia ad usum præbentur ei, & nullum immunem suis donis sanctus Petrus repellit venientium illuc: sed panis mundissimus & vina diuersa dantur non solum ei, sed & hominibus ei pertinentibus. Si ergo in miserabilibus hominibus hæc fiunt, qui venit etiam honorabilis sicut episcopus, qualem sumptum habet suscipere? Dicit ad eum Demosthenes: Nos didicimus, quia vi fecit libellum Pyrrhus Romæ, & quia lignea vincula sustinuit, & multa dolenda passus est. Respondit vir ille beatus, & dixit: Nihil tale factum est. Nam nisi quia formidine aliqui tenentur, non possunt forte loqui veritatem. Hic sunt Constantinopoli plurimi, qui tunc erant Romæ, & sciunt quæ ibi gesta sunt. Ex quibus interim superest Plato patricius, qui tunc exarchus erat, quique direxit homines suos tunc ad Pyrrhum Romam. percontamini eum de his si mentior. Verumtamen, quid volumus plurima quærere? Ecce in manibus vestris retinetis me, & quodcumque vultis consummate in me, Deo indulgente in vestra est potestate. Vtique si membratim inciditis carnes meas, sicuti præfecto iussistis cum me traderetis, non communico ecclesiæ Constantinopolitanæ. Ecce hic sum, examine me, & tentate, & inuenietis experimento gratiam Dei, & fidelium seruorum eius. Iterum Pyr-

thus in medium venit, qui totiens anathematizatus & nudatus est diuino honore. Stupefactus autem Demosthenes rescriptor, & admirans super hac voce æquanimis papæ audaciam atque constantiam pro Christo in morte sua, equidem ad hoc positus erat calix passionis. Similiter & hi qui consequentes erant ei stupentes, accepto libellario feriati cuncta dicta a beato viro conscribentes, recesserunt. Fecit ergo reuerentissimus papa in eodem Diomedis ergastulo octoginta quinque dies post primas nonaginta tres, hoc est omnes simul CLXXVIII. Venit igitur Sagoleba scriba, dicens, quia iussus sum auferre te hinc, & transferre in domum meam, & post dies duos dirigere te quo iusserit mihi facellarius. Interrogante autem papa quo ducendus esset, vel in quem locum, noluit ei dicere. Rogabat ergo sanctus ille, ut fineretur in eadem custodia, quousque exularetur, & ad horam auferretur de custodia. & nec hoc concessum est ei. Sed circa occasum solis dicit venerabilis papa his qui erant in ergastulo: Accedite fratres, vale faciamus, quia ecce nunc aderit qui auferat me hinc. Et hæc dicente eo, hauserunt singuli calicem. Et surgens sereno vultu cum multa constantia atque gratiarum actione, dicit ad vnum concurrentium sibi dilectum, qui erat ibi: Veni, domine frater, & da mihi pacem. Erant porro præcordia fratris illius, sicut mihi ipse referebat in illa hora, qualia, ut conicio, discipuli illius contemplantis Dominum in cruce. Non valens ergo, ut aiebat, cohibere seipsum, vocante eum beato ad osculum, irrugit frater ut leo. Cum eo autem inibi præsentibus omnes lamentabantur terribili lamento. Anxiatus in hoc vir beatus flagitabat omnes ne ita facerent, sereno obtutu dicens. Et impositis venerabilibus manibus super verticem eius, subridens ait: Bona sunt hæc, domine frater, hæc sunt opportuna, & te oportet ita facere? hæc sunt pacis? cum contra nunc debeas gaudere super me. Ad quem illico cum contritione cordis respondit frater: Deus nouit, famule Christi. Lator in gloria, qua dignatus est Christus Deus noster propter nomen suum hæc te omnia pati: sed lamentor omnium perditionem. Salutantes ergo omnes eum, recesserunt. Veniens igitur continuo scriba, & auferens eum, intulit in domum suam. Dictum est ergo,

H iij

quia in Cherſonam exulatur. & poſt dies aliquot cognouimus, quia illuc clanculo nauigio tranſuectus eſt ipſe ſanctiſſimus apoſtolicus vir. Veniens ergo illuc, poſt dies aliquot ſcripſit epiſtolam in Byzantium ad quemdam ſibi cariſſimum, ex illis videlicet, qui hunc propter Dominum, & ob rectam fidem eius amabant. Cum eſſet in magna tribulatione & exilio idem ſæpe dictus pater noſter ſanctiſſimus conſtitutus, poſtulans aliquarum ſpecierum ſubſidia, propter multas & frequentes, graueſque ægrimonias corporales, anguſtiasque omnimodas regionis illius, eo quod nihil ibi inueniretur, præcipue triticum, quod quidem illic nominabatur, non autem inueniebatur. Vnde cum iureiurando ſcripſit, quia nauicula illo veniente, & parum tritici habente ad commutationem ſalis, vix potuerit emere ex eo vnum tritici modium quatuor ſolidis, cum multis & hoc precibus. Diuerſas autem anguſtias ſcripſit ſancta eius anima pati ſe ibi: non ſolum corporalibus anguſtiis, ſed etiam habitantium & dominantium ibi malis oppreſſus, ita vt penitus contritus male peius moreretur, ſuaſione videlicet dominantium in Byzantio. Quamobrem quaſo vos ego humilis & peccator famulus veſter, a Deo honorabiles patres, vt quemadmodum ego viſa mihi & audita diligentiffime declarauì vobis, hoc eſt imminentes temptationes beatiſſimo papæ propter rectam confeſſionem in Chriſto Domino, & propter anathemaſmum in nouos factum hæreticos: quamquam ex multis, parua tamen quæ potui dirigere, ſcripſi: ita & vos zelum habentibus culturæ Dei, explicate eadem, & hortamini imitari eum, & traditiones ſanctorum patrum retinere ſecundum imitationem eius, & non communicare omnino contraria ſentientibus. Obſecrantes etiam pro me indigno famulo qui ſcripſi, quo cum eo & vobiſcum inueniam miſericordiam a Chriſto Deo noſtro in ſæcula, amen. Obiit autem idem ſanctiſſimus ter beatus apoſtolicus Martinus papa, recens reuera confeſſor & martyr Chriſti Dei noſtri, in eadem exultatione Cherſonæ, iuxta eiufdem ad Dominum Deum petitionem, quam obtulit ei cum lacrymis, exiens de naui, & calcans terram illam, id eſt vt in ea finiret vitam, bonum certamen certans, curſum martyrii conſummans, & bonam fidem ſeruans, menſe

Septembrio, die sextadecima, in qua felicissimæ martyris & fidem custodientis orthodoxam Euphemie preciosissima & beatissima secundum anni circulum celebratur memoria, indictione quartadecima. Positus est autem in tumultis sanctorum extra muros Cherfonitarum ciuitatis quasi stadio vno, in preciosissimo & reuerentissimo templo sanctissimæ & præ omnibus sanctis colendæ, castissimæ & immaculatæ, perbenedictæque gloriosissimæ & excellentissimæ omnium creaturarû, gratia plenissimæ, gaudium facientis & tribuentis Domine nostræ, proprie natura & veritate solius Dei genitricis semper virginis Mariæ, quæ cognominatur Blachernes: factus typus imitabilis omnibus, qui bene viuere & decertare elegerint & voluerint, pro ea, quæ verissime est veritas. Cuius virginis, cuiusque confessoris intercessionibus, Christus verus Deus & saluator noster, qui ineffabiliter & sine semine ex ea processit propter genus humanum, custodiat & conseruet nos, & omnes fideliter audientes, omnemque populum quem acquisiuit in sinceritatem fidei & conuersationem, in pace & dilectione perfecta, & omni iustitia usque in finem. Cui est cum Deo Patre & Spiritu sancto in deitate vna substantia, æquus honor, virtus eadem, sine tempore regnum, semper principium, sceptrum iuge, gloria perpes, maiestas similis, per infinita sæcula. Amen.

EPISTOLA XVI.

MARTINI PAPÆ I.

AD QVEMDAM SIBI CARISSIMVM.

De exilii sui calamitate.

INDICAMVS germanæ caritati vestræ, domine frater, quia postquam egressi sumus ex eo quod Ieron dicitur a Constantinopoli, nauigantes sancta quinta feria cœnæ Domini, pertransuimus Pharum, per diuersa loca transmeantes Idibus Maiis, & Chersonem peruenimus. Ergo gerulus harum, qui præsentem vobis tradit epistolam, post triginta dies post nos a partibus Byzantii venit Chersonem. Et gauisi sumus super aduentum ipsius, æstimantes quod expensæ missæ nobis ab Italia essent in terram hanc, quæ deberent nos eo veniente consolari. Et cum

interrogassemus, cognouimus ab eo, quod nihil huc detulerit ab Italia. & miratus sum, & glorificaui Deum meum etiam in hoc, quoniam sicut scit tribulationes nostras dispensat. maxime cum fames in hac terra & necessitas talis esset, ut panis in ea tantum nominetur, non tamen penitus videatur. Quoniam nisi mittantur nobis ex partibus illis sumptus, vel a partibus Ponti, hic viuere omnino nequimus. Spiritus enim promptus est, caro vero infirma, ut etiam ipse nosti. Neque enim dispensatio quæuis potest in hac terra ullatenus inueniri in solatium saltem modici sumptus. Si ergo, ut dictum est, transmissum fuerit illinc frumentum, & vinum, aut oleum, & alia quædam quoquo modo, festina prout potueris mittere nobis. Neque enim huiusmodi mala, ut reor, ostendi sanctis, qui ibidem sunt, vel his qui sunt ecclesiæ illius, ut usque adeo mandatum Domini paruipenderent: præsertim cum Apostolus Philippensibus scripsit, gratias agens eis, quod & Thessalonicam & semel & bis in usum sibi miserint. ubi & *Philip. 4. 18.* subdit: *Habeo autem omnia, & abundo.* Si enim peregrinos illic, id est Romæ, ita reficit sanctus Petrus, quid dicemus de nobis, qui proprii serui eius sumus, & saltem ad momentum ministrauimus ei, & in tali exilio & afflictione consistimus? Cognitionem autem feci ad dilectionem vestram quarundam specierum, quæ comparari debent illic. & horum, quæso te, more solito curam habeto, ut nosti, ad emendum & mittendum nobis propter multas necessitates nostras, & frequentes infirmitates.

EPISTOLA XVII.

MARTINI PAPÆ I.

EIVSDEM ARGUMENTI CVM SUPERIORE.

OMNE desiderium habemus semper literis nostris caritatē vestram consolandi, & releuandi vos a solitudine quæ vobis de nobis est. Vobiscū vero & omnes sanctos & fratres nostros, qui curā nostri propter Dominum gerunt. Ecce & impræsentiarum scribo vobis quæ coartant nos. Veritatē dico in nomine Christi Dei nostri. Remoti enim ex omni mundana turbatione, & depositi a peccatis nostris, ecce & ipsa vita caruimus. Siquidem hi qui in hac regione habitant, omnes gentiles existunt, & gentiles

mo-

mores acceperunt hi, qui hic habitare noscuntur, nullam caritatem prorsus habentes, quam iugiter hominum natura & inter ipsos quoque barbaros crebra compassione demonstrat. Nouit itaque Deus, nisi ex nauiculis, quæ veniunt ex partibus Romanix, ut hi qui hic sunt, nuncupant, partes videlicet Græcorum Ponticas partes vocantes. Nam nec semel de regione ista usque ad vnum trimisium frumentum potui comparare: sed nec alterius cuiuscumque generis speciem, nisi, ut prædictum est, ex nauiculis quæ huc raro veniunt, ut sale onustæ recedant. Sic potuimus emere tres vel quatuor modios nomismate, usque ad præsentem Septembrium mensem. Usque nunc vero non potuimus de nouis geniminibus emere, nisi vno nomismate modios quatuor. Miratus sum autem, & adhuc miror indiscretionem & incompassionem omnium qui quondam mihi pertinebant, & amicorum meorum ac propinquorum, quia sic funditus infelicitatis meæ obliti sunt, & nec scire volunt, ut inuenio, siue sim super terram, siue non sim. Miratus quoque multo magis sum in eos, qui sunt sanctissimæ apostoli Petri ecclesiæ, quoniam tantam dederunt operam de corpore ac membro suo, id est super dilectione nostra, ad reddendos nos sine solitudine, saltem super corporali usu, quotidianoque sumptu. Nam etsi aurum ecclesia sancti Petri non habet, frumento tamen & vino, & aliis necessariis expensa non caret per gratiam Dei, ut modicæ saltem exhibitionis curam gessissent. Qualem putas conscientiam habemus exhibendi ante tribunal Christi accusantibus omnibus tunc & rationem reddentibus hominibus, qui ex eodem luto & massa consistunt? Quæ formido est, quæ cecidit super homines ad mandata Dei minime facienda, aut timor ubi non est timor? An subtractione usque adeo nos spiritus maligni operiunt? An ita inimicus omni plenitudini ecclesiæ apparui, & aduersarius illis? Verumtamen Deus, qui omnes vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, per intercessionem sancti Petri stabiliat corda eorum in orthodoxa fide, & confirmet contra omnem hæreticum, & aduersariam ecclesiæ nostræ personam, & immobiles custodiat, præcipue pastorem qui eis nunc præesse monstratur: quo in nullo prorsus decedentes, vel declinantes, aut dimittentes eo-

rum, quæ in conspectu Domini & sanctorum angelorum eius in scriptis professi sunt, usque ad pusillum quippiam, vna cum humilitate mea coronam percipiant iustitiæ orthodoxæ fidei de manu Domini & saluatoris nostri Iesu Christi. De humili namque hoc corpore meo & ipsi Domino cura erit, vt sibi gubernare placet, siue in tribulationibus indefinentibus, siue in modico refrigerio. Dominus enim prope est, & quid sollicitus sum? Spero quippe in miserationes eius, quod non tardet modo finire meum quo iusserit cursum. Omnes vestrates propter Dominum salutate, & omnes qui pro Dei amore meis compassi sunt vinculis. Deus excelsus potenti manu sua protegat vos ab omni temptatione, & saluet in regnum suum.

CONCILIVM

^b LATERANENSE ROMANVM,
IN QVO CENTVM ET QVINQVE EPISCOPI
Typo Constantis imperatoris proscrip-
to, Monothelitarum hæresin, eiusque promotores, Cyrum Alexan-
drinum, Sergium, Paulum, & Pyrrhum Constantino-
polititanum condemnarunt, ^d anno Domini DCXLIX.
tempore Martini papæ I. celebratum.

SECRETARIVS I.

*In nomine Domini Dei saluatoris nostri Iesu Christi, imperii
domini Constantini piissimi Augusti anno nono, sub die
tertio Nonas Octobris, indictione octaua.*

PRÆSIDENTE sancto ac beatissimo Martino papa san-
ctæ sedis apostolicæ vrbis Romæ, propositis sacrosan-
ctis & venerabilibus euangelis in ecclesia Domini Dei &
saluatoris nostri Iesu Christi, quæ vocatur Constantinia-
na, residentibus etiam viris venerabilibus, pariterque
cum eo audientibus:

Maximo sanctissimo Aquileiensi episcopo.	Sergio Tempfanensi episcopo.
Deusdedit sanctissimo Caralita- no episcopo.	Reparato Manturianensi episcopo.
Mauro Casenate episcopo, &	Epiphanio Albanensi episcopo.
Deusdedit presbytero, agentibus locum Mauri sanctissimi e- piscopi Rauennatis ecclesiæ.	Benedicto Aiaceno episcopo.
	Iuliano Hostano episcopo.
	Papinio Vibonensi episcopo.
	Maximo Pifaurenensi episcopo.
	Luciano Leontinenensi episcopo.

ANNO
CHRISTI
649.